UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01440777 9

Marx, Friedrich
Studia luciliana.

PA
6481
L6Z7

Marx, Friedrich
III

STVDIA LVCILIANA

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XVI MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXXXII HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

FRIDERICVS MARX
DARMSTADTIENSIS

ADVERSARII ERVNT

LVDOVICVS SEELBACH
ROBERTVS MVENZEL
FRIDERICVS KOEPP

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.
MDCCCLXXXII

PA
6481
L6Z7

LIBRARY
741711
UNIVERSITY OF TORONTO

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

I. CRITICA ET HERMENEVTICA.

Libro VII u. 242 L 14 M quae leguntur

si mouet ac simat nares delphinus ut olim

subobscura paullo accuratius excutere et interpretari conatus sum. *Delphinus ut olim* quod apposuit Lucilius, non potest profecto pertinere ad uerba praecedentia, quoniam istud animal nares omnino non habet, quae moueri possint; spirat enim per fistulam quae a dorso ad pulmonem pertinet (Plin. IX 19): quandoquidem igitur ad uerba praecedentia non pertinet, ad illud *delphinus ut olim* aliud quod his et illis uerbis aptum sit supplendum est, puto: spiritum ducit. Agitur de homine amore perdito, qui ἀσθμαίνει in re uenerea (Lucian. dial. meretr. V 4), qui multum suspirat et anima crebra nares mouet et diducit ut equa pruriens: cfr. Lucr. IV 1192 'Nec mulier semper ficto suspirat amore Quae complexa uiri corpus cum corpore iungit'. Uersu autem qui hunc sequebatur sine dubio haec fere dicta erant: delphinus ut olim e mari proiectus in litore anhelat aestuat animam ducit: conf. Anth. Pal. XI 52

Παιδείῳ Θρασύβουλε, σαγηνευθεὶς ὑπ' ἔρωτι
'Ασθμαίνεις δελφὶς ὥς τις ἐπ' αἰγιαλοῦ
Κύματος ἱμείρων· δρέπανον δέ σοι οὐδὲ τὸ Περσέως
'Αρκεῖ ἀποτμῆξαι δίκτυον ᾧ δέδεσαι —

alias enim delphini suspiritus nihil habent insigne[1]). Optime

[1]) Delphinus in arida argumentum trium epigrammatum A. P. VII 214. 215. 216. — Δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία Ion ap. Plut. Demosth. 3 dicit.

illustratur hic Lucilii u. descriptione Tatiani adu. Gr. cap. 22: ῥιναυλοῦσι τὰ αἰσχρὰ, κινοῦνται δὲ κινήσεις ἃς οὐκ ἐχρῆν καὶ τοὺς ὅπως δεῖ μοιχεύειν ἐπὶ τῆς σκηνῆς σοφιστεύοντας αἱ θυγατέρες ἡμῶν καὶ οἱ παῖδες θεωροῦσιν et Clem. Alex. paedag. III 4, 29: παρεισρέουσιν δὲ ἔνδον κιναίδων ὄχλοι ... μοιχείας διάκονοι, κιχλίζοντες καὶ ψιθυρίζοντες καὶ τὸ πορνικὸν ἀνέδην εἰς ἀσέλγειαν διὰ ῥινῶν ἐπιψοφοῦντες ἐπικιναίδισμα, ἀκολάστοις ῥήμασι καὶ σχήμασι τέρπειν πειρώμενοι καὶ εἰς γέλωτα ἐκκαλούμενοι πορνείας πρόδρομον· ἔστι δ' ὅτε καὶ ὑπεκκαιόμενοι διὰ τὴν τυχοῦσαν ὀργὴν ἤτοι πόρνοι αὐτοὶ ἢ καὶ κιναίδων ὄχλον εἰς ὄλεθρον ἐξηλωκότες ἐπικροτοῦσι τῇ ῥινὶ βατράχων δίκην καθάπερ ἔνοικον τοῖς μυκτῆρσι τὴν χολὴν κεκτημένοι. Ranas in terra sedentes continuo aestuare ut pisces eiectos nemo non obseruauit.

Libro VIII u. 271 L 7 M uersus obscenissimus triplici forma traditus est; quem Porphyrio quidem praebet talem:

a laeua lacrimas muttoni abstergeret amica

Acronis codex Parisinus γ Hauthalii praebet *laeua*, Guelferbitanus:

laeso iam lacrimas muttoni absterget amica

commentator denique Cruquianus habet

lena manu lacrimas muttoni absterget amica.

Recte ut eligamus inter has tres scripturas, plurimum ualet recta totius fragmenti interpretatio, ad quam aliquid afferre posse mihi uideor. Turpis ni fallor translatio fit hoc uersu, penis plorans foedissimo sensu inducitur a poeta quasi homo, ut Horatius eo loco, ad quem explicandum ueteres hunc Lucilii uersum apposuere (sat. I 2, 68):

Huic si muttonis uerbis mala tanta uidentis
Diceret haec animus e. q. s.

Neque melius hoc uerbum 'lacrimas' illustrare possum quam uerbis Boetii de diffinitione (Migne patrol. uol. 64 p. 904 D) allatis: 'Turpis translatio fit duobus modis cum honesta turpibus diffinimus aut turpia honestis ut si quis patrationem

diffiniens lacrymas dicat ueneris fatigatae: quem sudorem[1]) melius nominaret. At contra aliquis dicat lacrymae sunt doloris patratio, huic uitio nec superior particula temperamentum tribuit'. Patratio autem quid sit, expositum uidemus apud Isidor. orig. IX 5, 3 'Pater autem dictus quod patratione peracta filium creat: patratio enim est rei Ueneriae consummatio'. Ad concubitum ille uersus spectare non potest: est tamen multo foediore sensu quam editores suspicati sunt. Amica enim dicitur manus laeua et uersus Lucilii ni fallor hic est:

ac laeuâ lacrimas muttoni absterget amicâ

Commentator Cruquianus procul abest a uero praebens *lena* (h. e. leua[2])) *manu*; neque uerba *ac laeua* quo modo corrumpi potuerint ut *laeso iam* illud codicis Acronis Guelferb. nascatur apparet: utrobique aperte aut interpolatum aut male correctum est a librario. Quo nihil prohibemur quominus secuti Porphyrionis Monacensem cui proxime accedit codex Acronis γ optimus, ita de illo uersu statuamus ut fecimus.

Sed ne diutius meis uerbis has sordes tractem, Martialis (IX 41) potius ad uersum recte intellegendum arcessatur:

Pontice quod nunquam futuis, sed paelice *laeua*
Uteris et Ueneri seruit *amica manus*,
Hoc nihil esse putas? scelus est mihi crede, sed ingens
Quantum uix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres,
Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderant si masturbatus uterque
Mandassent manibus gaudia foeda suis.

Conf. dein Priap. 33, 5

Turpe quidem factu, sed ne tentigine rumpar
Falce mihi posita fiet *amica manus*.

---

[1]) Lucr. IV 1128 'teriturque thalassina uestis Adsidue et *Ueneris sudorem* exercita potat' Boetii hoc loco explicatur: in commentariis nil inueni adnotatum. Thalassina *uestis* teges lecti seu uestis stragula est, ut saepe. Conf. a. h. l. II 97 Catull. VI 10 Hor. ep. I 19, 38, ut singula huius loci recte intellegantur: ut totus locus, Ouid. amor. III 7, 84 rem. am. 431.

[2]) Codd. *laeua leua laena*. Laeua manus ut Mart. XI 58, 11. 73, 4. Aliter de h. u. statuit G. Hermann el. doct. metr. lib. II cap. 36.

Manus amica igitur idem ualet, quod manus fututrix (Mart. XI 22). Ceterum optime etiam μεταφορικῶς uerba *lacrimas absterget* intellegi possunt ut sic interpretere manum solari penem aegre ferentem inexpletam libidinem: similiter Scythinus A. P. XII 232 ad muttonem:

Ὀρθὸν νῦν ἕστηκας ἀνώνυμον οὐδὲ μαραίνῃ·
Ἐντέτασαι δ' ὡς ἂν μή ποτε παυσόμενον.
Ἀλλ' ὅτε μοι Νεμεσηνὸς ὅλον παρέκλινεν ἑαυτόν,
Πάντα διδοὺς ἃ θέλω, νεκρὸν ἀπεκρέμασο.
Τείνεο καὶ ῥήσσου καὶ δάκρυε· πάντα ματαίως·
Οὐχ ἕξεις ἔλεον χειρὸς ἀφ' ἡμετέρης.

Itaque foedissima ambiguitate ludere poetam manifestum est.

Libro IX u. 289 L 74 M codices

arripio et rostrum labeatque hoc zeferiatin
percutio dentesque aduorsos discutio omnis,

cum praebeant, *labeatque* recte emendauit Bentinus in medio uersu *labeasque* ponens, exeuntem sanauit Lachmanno iudice Iunius corrigens *Zopyrioni*, nisi quod ipse mauult *hoc Zopyrioni*, *huic Zopyrioni* Iunius scripsit. Probarem[1]), ni longius a traditis discederet, Iunii potius commentum — nam '*hoc*', scilicet fuste sero relatum languet — quam quod Uarges in Mus. Rhen. III 1835 p. 60 coniecit, qui de Zopyro Persa cogitans scripserit *hoc zopyriatim*: quod cum frustra studeat euincere legitime esse deriuatum a uoce Zopyrus, hunc secutus Muellerus deducit *zopyriatim* istud a uoce *Zopyrion*, quem putat plagosum seruum Lucilii fuisse. Fatendum est, de hac re nihil nos scire: libro XXII 521 L 9 M de seruo plagoso nihil sane dictum est. — Flagitamus si quid uideo datiuum ad uocem *percutio* pertinentem atque quoniam menda Nonii litterarum transpositione orta esse permulta notum est, agnoscimus in litteris corruptis datiuum singularis numeri participii praesentis in *-anti* exeuntem, uelut Iuuenalis dicit 'co-

---

[1]) Ζωπυρίων enim apud Lucianum περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων 23 nomen est hominum uenalium et infimorum.

laphum incutimus *lambenti* crustula seruo' (IX 5)[1]: Nonii uerba *hoc zeferiatin* corrupta sunt e genuinis *hoc uociferanti* a librario qui nescio quid de Zephyro uento somniauit. Recte ut opinor decurrunt haec: [fustem]

arripio et rostrum labeasque hoc uociferanti
percutio dentesque aduorsos discutio omnis.

Uociferari inuenitur apud Afranium Attam Lucretium alios et usurpatur de gallorum anserum hominum clamore supra modum aucto[2]: qua de re lexica consulas.

Libro IX u. 330[b] L 34 M codices

s nostrum et semigraece quod dicimu' sigma
nil erroris habet

Multa conati sunt uiri docti, quae non melius me posse refutare arbitror quam si meliora substituam cum illorum inuenta partim ne ipsis quidem placuerint. Addenda est nimirum una littera, ut haec fiant

s nostrum et *semigraecei* quod dicimu' sigma
nil erroris habet

quibus uerbis lepide Lucilius semigraecos suos populares seque ipsum dicit, quoniam Graeca uerba ut sigma Latinis imniscere adsoleant.

Fortasse si quae de *s* littera dicit Lucilius recte interpretati sumus, ansam nacti sumus ad haec corrigenda quae de r littera corrupte tradita sunt apud Uel. Long. VII p. 47 (u. 330[a] L IX 29 M)

a re non multum abest hoc cacosyntheton atque canina
si lingua dico nihil ad me nomen hoc illi est

quibus in uersibus etiamsi non omnes confido posse a me expediri difficultates, tamen aliquanto propius ad uerum forsitan

---

[1]) Uelut apud Petron. 90 'lapides in Eumolpum recitantem' mittunt.

[2]) Cornif. III 22 muliebris uociferatio Quintil. II 10, 8 furiosa uociferatio.

accedam. Alterum horum uersuum, cum prior numeros habeat corruptos, recte traditum esse quominus contendamus, nihil impedit nisi Muelleri praeceptum (d. r. m. p. 343), quo inuersu dactylico *hoc* uocem corripi uetatur. Quanquam uero eius correptionis nulla fere adhuc prolata sunt exempla, tamen hic ipse Lucilii uersus adeo recte se habet, ut Lucilium quidem hac libertate usum esse hoc ipso uersu mihi probetur, praesertim cum *hic* uocem Lucretius Uergilius Tibullus potuerint corripere *hoc* cur nemo unus potuerit non uideam causam idoneam[1]): cf. Diomed. I p. 430, 13. Priorem tamen uersum foede adulteratum esse, nemo non uidet: uerba *a re* e littera *r* librarius neglegenter deduxit — nam *r* in hoc uersu latere ex Uelii uerbis certum est neque quicquam ueri similius quam in his duabus syllabis — dein uox quae numeris repudiatur *abest* ex istis *a re* nata est. Sed paullo accuratius Uelii uerba consideranda sunt. Dicit is quidem haec (p. 46, 17).

'Inuenti sunt tamen qui et sine uocali putent posse syllabam fieri. Nam animadvertimus apud comicos s et t pariter scriptas litteras ut apud Terentium in Phormione

† non is obsecro est

quem te semper dicunt. St quid has metues fores:

hoc s et t pariter renuntiat silentium. Sed si hoc sectentur, possint etiam plerasque consonantes et omnes semiuocales, pro syllabis ponere. Nam apud Lucilium in nono in quo de litteris disputat omnes uicem syllabarum implent, cum dicit . . . (*secuntur duo quae modo posui Lucilii fragmenta*) Apparet ergo haec nihil aliud quam locum syllabae tenere nec tamen syllabas esse'. Quae omnia ex optimis fontibus deducta ineptissima esse Ueliumque plane nugari patet, si in uersibus Lucilii legantur litterae *r* et *s* uelut *er* et *es* grammaticorum more (Prisc. II p. 7, 27 Pompei. V p. 101, 16 Serg. IV p. 476, 31), quae quis primus adhibuerit litterarum nomina

[1]) Praesertim cum *hoc* uocabulum natura breuem uocalem habeat, a poetis productam: conf. Charis. I p. 15. Mueller d. r. m. p. 343 tria tantum exempla attulit *hoc* uocabuli o correpta usurpati. Ceterum quam audacter Lucilius uocales longas corripuerit, u. 1181[b] L IX 1 M testatur, ubi *ore corrupto* Adonius exstat.

nescimus: sed pronuntiandae certo eundem in modum sunt, quo *st* illud comicorum; neque enim quisquam *s* et *r* litteras si *es* et *er* pronuntientur non esse syllabas dicere aut cum *st* uoce comparare potest; certe Uelius ipse in sequentibus (p. 47, 13) *x* litteram non uocat *ix*, sed *cs*, quam dicit significare[1]) aliquid, nec tamen esse syllabam aut lexin. Hinc efficitur Uelium certe uel eius auctorem non legisse apud Lucilium *es er*, sed *sss rrr*. — Iam ad uerba Lucilii redeamus. Sicut in illo fragmento quod antea tractaui nonnullos uituperauit qui pro Romano nomine Graecum potius litterae s imponerent, sic in littera antecedente r de nomine copiosius eum egisse mihi uidetur ex hoc fragmento effici, quod tanquam in diuerbium disponere uelim hunc in modum correctum:

r non uult, nam est hoc cacosyntheton atque canina
sic lingua dico. — Nihil ad me, nomen hoc illi est.

Uerba inde a *nihil* uocabulo Lucilii sunt, qui dicat, se nihil morari, quod Accius, quem Graecorum more *scena aggulus Hectora* scripsisse traditum est, nolit dici *rrr*, sed ῥῶ, quia *rrr* cacosyntheton sit neque humanae sed caninae linguae potius proprium, cum ῥῶ Graecum iustum sit uerbum meliusque pronuntiari possit. In uersu priore quoniam *hoc* uocabulum languet si unum inde a littera *r* usque ad *cacosyntheton* fit enuntiatum, duo efficere malui ita ut praecedant haec fere 'quare Acciu' dici' r non uult e. q. s. Ut ea quae posui non probes omnia, tamen illud certe ex istis duobus Lucilii fragmentis apparet, litterarum nomina huius saturarum libri IX tempore nondum ea ab omnibus agnita esse quae a grammaticis posteriorum saeculorum; sed Lucilium partim sonum litterae pro nomine posuisse, partim Graecorum nomina adhibuisse. Nomina[2]) uero litterarum ea, quae usque ad nostra

---

[1]) Non recte Keil scripsit l. l. 'sic enim *litteram* uocamus', cum recte Uelius dicat es siue x esse uocantium, sicut st uoce tacere iubemur, digitorum crepitu pueri ad respondendum cientur.

[2]) Apud Plaut. Merc. 304 R litterarum sonos pro nominibus esse metro euincitur, cum dicat haec Demipho:

Hodie ire occepi in ludum litterarium
Lusímache, ternas scio iam. L. Quid ternás? D. *A M O.*

tempora feruntur, inuenit grammaticus aetatis Sullanae, aut M. Uarroni simillimus aut, quod mihi ueri simillimum uidetur Uarro ipse qui in libro de antiquitate litterarum ad L. Accium scripto de nominibus litterarum egit (Wilmanns de Varronis libris grammaticis p. 125) XX fere annis post Lucilii mortem.

Nomina[1]) enim litterarum XXI si percensemus a e i o u ef el em en er es be pe de te ce ge ha ka qu ix — y enim et z Graecas mitto — nemo opinor non uidet primo obtutu haec nec priseae uetustatis esse ut Graeca litterarum nomina nec casu facta, sed ab homine Graecorum de litteris doctrina imbuto singula singulis litteris esse imposita ea ratione ut uocales suum quaeque sonum habeant pro nomine, consonantibus *e* addatur postpositum mutis, semiuocalibus antepositum, ut denique ha ka qu ix segregentur a ceteris nominum ratione mutata, si modo harum litterarum quattuor nomina eidem debentur cui reliquarum. Una scilicet lege XII consonantes litteras comprehendit is qui illa nomina posuit primus, ita ut supra demonstraui, *e* littera addita: idem omnibus semiuocalibus fulcrum praeposuit, postposuit mutis. Semiuocales dico more omnium qui nobis seruati sunt grammaticorum antiquorum *f l m n r s x* — etiam apud Graecos ξ inter semiuocales est Dionys. Hal. d. compos. uerb. XIV Dionys. Thrac. § 7. (Bekker A. G II p. 631.) — item mutas *b c d g h k p q t.* Iam *k* littera et *q* nomina ex uocalibus quae eas sequi adsoleant traxere: *c* littera uero quo distingueretur a *ka* affini, *e* uocalem adiunxit grammaticus et huic ipsi et quinque reliquis mutis *g b p d t*, quas similes esse inter se uoluit, dissimiles *h* litterae, cui *a* litteram apposuit nescio quare, fortasse quia hoc simplicissimum uidebatur: idem *x* litteram exemit e semiuocalibus praeposita *i*, cum reliquae *e* littera fulciantur; fortasse recte explicant grammatici ita factum esse secundum uocabulum Graecum huius litterae ξῖ[2]).

Itaque cum appareat litterarum Latinarum nomina non

---

[1]) Priscian. II p. 7, 26 Seru. IV p. 422, 15. Serg. IV, p. 476, 31. 520, 18. Pompei. V p. 101, 9 Keil. Tantum apud Probum IV p. 49, 31 *ex* pro *ix* traditum est, quod corrigendum esse censeo.

[2]) Priscian. II p. 8, 12. 20. Anecd. Heluet. ed. Hagen p. 224, 12.

casu facta sed ab homine doctissimo post Lucilii aetatem inuenta esse, qui XVII litteras *a e i o u f l m n r s b p c g d t* uno ordine comprehenderit, *h k q x* reliquas ex hoc ordine eiecerit[1]), nihil ueri similius est, quam M. Terentium Uarronem illorum nominum esse inuentorem, quem has ipsas XVII tantum litteras agnouisse, *k q x* ut superfluas, *h* ut notam ac non litteram eiecisse passim traditum est modo addito Uarronis nomine modo omisso: Sergius IV p. 519, 11 'Litterae Latinae cum XXIII sint, Uarro XVII dicit esse; ceteras superfluas putat'. Priscian. II p. 13, 8 'Auctoritas quoque tam Uarronis quam Macri teste Censorino nec k nec q nec h in numero adhibet litterarum'. Cassiod. ex Cornuto VII p. 153 'In libro qui est de grammatica Uarro, cum de litteris dissereret, [ita] h inter litteras non esse disputavit, quod multo minus mirum, quam quod x quoque litteram esse negat'. Charis. I p. 8, 14. 16 Diom. I p. 423, 31 'Quidam Latino sermoni sufficere decem et septem litteras crediderunt, si quidem ex uiginti et tribus una adspirationis nota est, h, una duplex, x, duae superuacuae, k et q, duae Graecae, y et z'. Donat. IV p. 368, 12. Serg. IV p. 477, 14. 20. 26. Pompei. V p. 111, 6 Mar. Uictorin. VI p. 5, 24. 27. Uictorin. VI p. 195, 19. 196, 1. Hagen anecd. Heluet. p. 225, 6. Quintil. I 4, 9. — Causa qua moti quidam, h. e. Uarro eiusque sectatores *k k q x̄* remouerint ubique indicatur, quod *h* non littera sed aspirationis nota existimetur (Mar. Uictor. l. l.), quod uice *k* et *q* litterarum possit *c* fungi (Ter. Scaur. VII p. 14, 12. 27, 18), quod *x* duplex littera sit, qua nilo plus indigeamus quam ψ littera Graecorum (Quintil. l. l.): nominum discrepantia nusquam pro argumento ponitur, nisi in fragmentis Bobiensibus G. L. ed. Keil VII p. 539, 12[2]): 'Antiqui XVII litteras solas habebant. h k q x y z quod neque uocales essent neque ab e inchoarent ut semiuocales, neque in e desinerent, ut mutae, tenax artis uetustas respuit sed illecebra suauitatis admisit'. Quae ineptissima esse planum est.

---

[1]) Animaduertit Pompeius V p. 101, 18 Sergius IV p. 478, 2 istarum litterarum quam nominibus patiuntur exclusionem.

[2]) Similiter peccat Priscian. II p, 11, 14.

Secutus est illam legem de XVII litteris a Uarrone factam Nigidius Figulus, qui 'in commentariis suis nec k posuit nec q nec x. Idem h non esse litteram sed notam adspirationis tradidit'. (Mar. Uictorin. VI p. 8, 16). Sed grammatici posterioris temporis Uarronis sententiis infesti eam neglexerunt.

Postremo duo argumenta addam, cur Uarronem potissimum auctorem illorum nominum existimauerim. Primum enim nomen illud *uau*, quod u consonanti Uarro imposuit et apud ueteres grammaticos et apud nos usque ad hunc diem cum ceteris litterarum nominibus mansit. Conf. Cassiod. ex Cornuto VII p. 148, 10: 'Hanc litteram Terentius Uarro dum uult demonstrare, ita perscribit uau'. Priscian. II p. 15: 'U uero loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus uim habuit apud Latinos, quam apud Aeolis digamma. Unde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeolis habuit olim ϝ digamma, id est 'uau' ab ipsius uoce profectum teste Uarrone et Didymo, qui id ei nomen esse ostendunt'. Hagen anecd. Heluet. p. 223, 26: 'Figura itaque illius digamma uocatur. Potestas uero eiusdem uau nominatur, quam accipientes Latini posuerunt super u consonantem et facit u consonans apud nos, quod digamma apud Graecos' . . Ter. Scaur. VII p. 17, 5. Accedit alterum. Uarro in libro de antiquitate litterarum ad L. Accium exposuit teste Pompeio V p. 98, 22 'olim XVI fuisse, postea ex superfluo additas alias litteras et factas XXIII'. (Wilmanns d. Uarr. libris gram. p. 219). Cum uero sciamus Uarronem XVII illas una nominum ratione comprehensas litteras probasse, has XVI priscas sine dubio dicit easdem excepta g littera, quam addidisse Sp. Caruilium Sp. l. ipse Uarro auctor est. (Plut. qu. Rom. 54. 59)[1]). Dein in illo libro explicauit (Pompei. l. l.) 'et cur tot sint et quare eo ordine positae et quare isdem nominibus uocatae'[2]). Idem p. 108, 13 'Illic commemoratur qui illam

[1]) Ter. Scaur. VII p. 15 ualde ineptit in refutanda Uarronis sententia de k et c litteris.

[2]) Priscian. K. II p. 8: 'Et sunt indeclinabilia tam apud Graecos elementorum nomina quam apud Latinos, siue quod a barbaris inuenta

litteram fecit, qui illam'. — Postremo praeceptum Uarronis de litterarum nominibus seruatum est quanquam posteriorum temporum additamentis corruptum apud Sergium IV p. 520, 18 his uerbis: 'Uarro dicit consonantes ab e debere incipere quae semiuocales sunt et in e debere desinere quae mutae sunt. Ideo illae quia non ab e incipiunt neque in e desinunt, possunt pati calumniam, ut nec litterae uideantur aut non sint necessariae ut sunt in semiuocalibus x et z. Non enim sunt necessariae, nam duplices sunt, quia ex aliis litteris fieri possunt. Ex mutis remouentur propter illam quam diximus rationem h k q: h quod aspiratio sit, non littera: k et q ideo, quod c littera harum locum possit implere'. Clarius Seruius IV p. 422, 15 Uarronis nomine omisso: 'Semiuocales sunt septem, quae ita proferuntur, ut inchoent ab e littera et desinant in naturalem sonum, ut ef el em en er es ix. Sed x ab i inchoat et duarum consonantium fungitur loco' . . . Idem 32: 'Mutae sunt nouem, quae debent inchoare a naturali sono et in uocalem e litteram desinere, ut b g et reliquae. Ex quibus tres, quoniam non desinunt in e, contumeliam patiuntur, h k q. H a plerisque adspirationis nota, a plerisque consonans habetur. K uero et q aliter nos utimur, aliter usi sunt maiores nostri. Namque illi quotienscunque a sequebatur k praeponebant in omni parte orationis, ut kaput et similia; nos uero non ūsurpamus k litteram nisi in Kalendarum nomine scribendo. Itemque illi q praeponebant, quotiens u sequebatur, nos uero non possumus q praeponere, nisi et u sequatur et post ipsam alia uocalis, ut quoniam'. Fusius de hac re Pompeius V p. 101 egit. Cum traditum non sit quem auctorem Uarro in hac re secutus sit, non sine causa litterarum nominum Latinarum inuentorem ipsum Uarronem dicemus quoniam illorum nominum ratio mire cum Uarronis de litteris doctrina congruat neque inter Lucilianae poesis tempora et Uarroniani libri de antiquitate litterarum exstiterit grammaticus

---

dicuntur, quod esse ostendit Uarro in II de antiquitate litterarum docens lingua Chaldaeorum singularum nomina litterarum ad earum formas esse facta' e. q. s.

tanta auctoritate, quem omnes posteriores sequerentur. Itaque cum Lucilii temporibus soni litterarum pro nominibus essent, nonnulli tamen Graeca nomina adhiberent a Lucilio uituperati, Uarro Reatinus in libro ad Accium, quem ipsum quoque de hac re egisse ex Lucilii libro IX apparet, de antiquitate litterarum misso ita nomina ratione et studio excogitata posuit, ut usque ad nostra tempora immutata permaneant.

Libro IX u. 280 L 71 M et u. 845 L XXVIII 28 M reconditioris eruditionis Lucilius praebet exemplum, cum res ephebicas Graecorum tangens nomen *parectatoe* exhibeat; sic enim in editionibus quidem Nonii et Lucilii legitur nomen istud, quod Nonius p. 67 hisce uerbis explicat: *Parectatohi qui de pueritia ueniunt ad pubertatem*; *a Graeco uocabulum sumptum.* Secuntur duo Lucilii uersus, unus M. Uarronis, corruptissimi omnes. Atque primum quidem de hoc epheborum nomine agam, deinde de Lucilii et Uarronis fragmentis qua corrigenda sint ratione exponam. Uocem *parectatoi* traditam codicibus L 1 et G qui interpretati sunt, arcessito uocabulo παρεκτείνειν intellexerunt τοὺς συγκαθεύδοντας, qui *iuxta extenti* a Graecis appellentur: Lachmann tamen dicit se non capere unde dicti *parectatoe* sint[1]). Uersum Lucilii e libro nono desumptum quem praebent codd. L 1 et G sic corruptum

inde (L 1 unde) parectatoe calamides ac barbula prima

correxere editores ita

inde parectatoe et chlamydes ac barbula prima

nisi quod Mueller scripsit *hinc chlamydes.* Muelleri coniectura longius a traditis discedit, in illa uersus forma *et* insertum ualde languet, in utraque offendit hiatus. Accedit quod cur adulescentes quibus prima lanugo nascitur in genis uocentur illo nomine ad rem ueneream pertinente, quod pueris multo aptius erat, non intellegitur: namque barbula prima aetatulam amasiorum deleri multum queruntur poetae libri XII A. P., uelut epigr. 186 neque amatis pueris tam' infame nomen im-

---

[1]) Conf. ad u. 280 adnotationem.

posuisse Graecos arbitror, dum nomina qualia sunt ὁ κλεινός uel ὁ ἀίτης uel illud ipsum ὁ καλός considero[1]). Neque tamen ea omnia tanti ducerem ut uocem *parectatoi* in suspicionem uocarem, nisi in Lucilii altero fragmento simul et in Uarronis uerbis in codice L 1 ipsa correcta esset manu altera: correcturae uero codicis L 1 quanti faciendae sint, sciunt apparatus critici Noniani periti (Mueller edit. praef. p. XXXIV). Secuntur enim Lucilii uersum supra positum haec: 'idem uicesimo tuum ephebum quendam quem uocant parectaton. Uarro de compositione saturarum: parectatae adsunt mulierque mulier Uenus caput'. In quibus uersibus cum scriptum sit in codice L 1 manu prima *praeutacton* atque *praeutactae*, postea correctum ex lemmate, adhibita codicis L 2 lemmatis scriptura *paractato hi*, elicimus genuinam lectionem *paratactoi*, quam ex Graecorum legibus et moribus, quibus utebantur ephebi egregie possumus interpretari. Uersum Lucilii antea quam de isto uocabulo παράτακτοι copiosius agam ita correctum uelim: [uocantur]

dein paratactoe, qua chlamydes ac barbula prima

adulescentulos scilicet uestire incipiunt aetate. *Calamides* corruptum esse puto ex *caclamides*, nam *qu* et *c* saepius in Nonii codicibus confunditur, uelut p. 126 *sculitate* pro *squalitate* positum est. Multo difficilius est iudicium de altero Lucilii uersu atque de fragmento Uarronis: de illius emendatione ego quidem despero, ex hoc id quidem elucet, nomen illud epheborum impositum esse ephebis ad rem amatoriam idoneis. Maxime autem omnium ciuitatum Graeciae Thebani propensi erant ad amorem puerorum (Ael. u. h. XIII 5), dein Cretenses (Corn. Nep. praef.), tum Elei: quare Plut. de puer. educ. cap. 15 praecipit: Καὶ τοὺς μὲν Θήβησι καὶ τοὺς Ἤλιδι[2]) φευκτέον ἔρωτας καὶ τὸν ἐκ Κρήτης καλούμενον ἁρπαγμόν atque ego quidem puto uerisimile esse ad instituta Thebanorum hunc uersum pertinere. *Paratactoe* enim uox

---

[1]) K. F. Hermann Griech. Privatalterth.[2] 29, 19. Uaria nomina epheborum apud Nauckium, Aristoph. Byzantini rel. p. 88 sqq.

[2]) Plat. conuiu. p. 182 B.

sine dubio ad rem militarem spectat deducta a uocabulo παρατάσσειν itaque dici arbitror singulos singulis amatoribus in acie adpositos ephebos, uelut ἐπίτακτοι (Thucyd. VI 67 Plut. Sulla 17) triarii dicuntur, πρότακτοι, qui in prima acie collocati sunt (Plut. Cam. 41 Crass. 23). Atque Thebanis ipsis mos iste erat ut ὁ ἐρώμενος iuxta τὸν ἐραστὴν in certaminibus locaretur: quod traditum est apud Xen. conu. VIII 32: Καίτοι Παυσανίας γε ὁ Ἀγάθωνος τοῦ ποιητοῦ ἐραστὴς ἀπολογούμενος ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ συγκυλινδουμένων εἴρηκεν ὡς καὶ στράτευμα ἀλκιμώτατον ἂν γένοιτο ἐκ παιδικῶν τε καὶ ἐραστῶν. Τούτους γὰρ ἂν ἔφη οἴεσθαι μάλιστα αἰδεῖσθαι ἀλλήλους ἀπολείπειν, θαυμαστὰ λέγων εἴ γε οἱ ψόγου τε ἀφροντιστεῖν καὶ ἀναισχυντεῖν πρὸς ἀλλήλους ἐθιζόμενοι οὗτοι μάλιστα αἰσχυνοῦνται αἰσχρόν τι ποιεῖν. Καὶ μαρτύρια δὲ ἐπήγετο ὡς ταῦτα ἐγνωκότες εἶεν καὶ Θηβαῖοι καὶ Ἠλεῖοι· συγκαθεύδοντας γοῦν αὐτοῖς ὅμως παρατάττεσθαι ἔφη τὰ παιδικὰ εἰς τὸν ἀγῶνα, οὐδὲν τοῦτο σημεῖον λέγων ὅμοιον. Ἐκείνοις μὲν γὰρ ταῦτα νόμιμα, ἡμῖν δ' ἐπονείδιστα. Δοκοῦσι δ' ἔμοιγε οἱ μὲν παραταττόμενοι ἀπιστοῦσιν ἐοικέναι μὴ χωρὶς γενόμενοι οἱ ἐρώμενοι οὐκ ἀποτελῶσι τὰ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργα. Similiter Phaedrus apud Plat. conu. p. 178 E Εἰ οὖν μηχανή τις γένοιτο ὥστε πόλιν γενέσθαι [ἢ στρατόπεδον] ἐραστῶν τε καὶ παιδικῶν, οὐκ ἔστιν ὅπως ἂν ἄμεινον οἰκήσειαν τὴν ἑαυτῶν . . . καὶ μαχόμενοί γ' αὖ μετ' ἀλλήλων οἱ τοιοῦτοι νικῷεν ἄν ὀλίγοι ὄντες ὡς ἔπος εἰπεῖν πάντας ἀνθρώπους. Atque hunc in modum sacram illam cohortem Thebanorum compositam fuisse sunt qui tradant: cuius rei testimonia postea proferam.

Aemulantur enim Boeotii, apud quos ἀνὴρ καὶ παῖς συζυγέντες ὁμιλοῦσιν (Xen. rep. Laced. II 12) exemplum Herculis et Iolai, quem νομίζοντες ἐρώμενον αὐτοῦ γεγονέναι μέχρι νῦν (h. e. ad Plutarchi tempora)[1]) σέβονται καὶ τιμῶσι (Plut. amator. c. 17, 17), ἔρωτος ὅρκους τε καὶ πίστεις ἐπὶ τοῦ τάφου παρὰ τῶν ἐρωμένων λαμβάνοντες. Idem tradit Aristoteles apud Plut. Pelop. 18, cum antea de sacra cohorte

---

[1]) Neque enim putauerim in moribus patriis describendis temere Aristotelis uerba expressisse Plutarchum.

actum sit, his uerbis: Λέγεται δὲ καὶ τὸν Ἰόλεων τοῦ Ἡρακλέους ἐρώμενον ὄντα κοινωνεῖν τῶν ἄθλων καὶ παρασπίζειν. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ καθ' αὑτὸν ἔτι φησὶν ἐπὶ τοῦ τάφου τοῦ Ἰόλεω τὰς καταπιστώσεις ποιεῖσθαι τοὺς ἐρωμένους καὶ τοὺς ἐραστάς[1]). Atque hoc quidem loco copiose Plutarchus de sacra quae dicitur cohorte agit: Τὸν δ' ἱερὸν λόχον, ὥς φασι, συνετάξατο Γοργίδας πρῶτος ἐξ ἀνδρῶν ἐπιλέκτων τριακοσίων . . . Ἔνιοι δέ φασιν ἐξ ἐραστῶν καὶ ἐρωμένων γενέσθαι τὸ σύστημα τοῦτο. Καὶ Παμμένους ἀπομνημονεύεταί τι μετὰ παιδιᾶς εἰρημένον· οὐ γὰρ ἔφη τακτικὸν εἶναι τὸν Ὁμήρου Νέστορα κελεύοντα κατὰ φῦλα καὶ φρήτρας συλλοχίζεσθαι τοὺς Ἕλληνας . . . δέον ἐραστὴν παρ' ἐρώμενον τάττειν e. q. s.: conf. cap. 19 et quaest. conuiu. I 2, 6. Adde quae Athen. XIII p. 561 E memoriae prodidit: Λακεδαιμόνιοι δὲ πρὸ τῶν παρατάξεων Ἔρωτι προθύονται, ὡς ἐν τῇ παραταττομένων φιλίᾳ κειμένης τῆς σωτηρίας τε καὶ νίκης. Καὶ Κρῆτες δ' ἐν ταῖς παρατάξεσι τοὺς καλλίστους τῶν πολιτῶν κοσμήσαντες διὰ τούτων θύουσι τῷ Ἔρωτι ὡς Σωσικράτης[2]) ἱστορεῖ. Ὁ δὲ παρὰ Θηβαίοις ἱερὸς λόχος καλούμενος συνέστηκεν ἐξ ἐραστῶν καὶ ἐρωμένων, τὴν τοῦ θεοῦ σεμνότητα ἐμφαίνων ἀσπαζομένων θάνατον ἔνδοξον ἀντ' αἰσχροῦ καὶ ἐπονειδίστου βίου[3]). Chlamydes, quae in uersu Lucilii commemorantur, ephebi posita ueste puerili, quae ἱμάτιον uocatur (Athen. XIII p. 604 D) induebant: conf. Antidotos ap. Athen. VI p. 240 B Πρὶν ἐγγραφῆναι καὶ λαβεῖν τὸ χλαμύδιον. Est uero chlamys uestis militaris[4]), qua ephebis maxime opus erat ad rem militarem tunc primum accedentibus. (Dittenberger de ephebis Atticis p. 9). Hic

---

[1]) Vocatur eam ob causam Iolaus Herculis παραστάτης (Eurip. Heraclid. 88), sicut in Kaibelii delectu epigr. Graec. 790 Polystratus παραστάτης Alcidae appellatur formosus puer amatus ab Hercule eiusque armiger.

[2]) Socicrates in libro Κρητικά inscripto (Athen. VI p. 261 E 263 F.)

[3]) Max. Tyr. diss. XXIV 2 p. 455 R.

[4]) Sicut apud Plautum milites chlamydati procedunt: Pseud. II 4, 45. Miles V 30.

mos Atheniensibus fuit: de Thebanis conf. Plut. amator. cap. 17, 10 mor. p. 761 B: Παρ' ὑμῖν δὲ . . . τοῖς Θηβαίοις οὐ πανοπλίᾳ[1]) ὁ ἐραστὴς ἐδωρεῖτο τὸν ἐρώμενον ἐς ἄνδρας (corr. Winckelmann ex ἀνδέτας ἀρδέλας ἀρδέτας traditis scripturis) ἐγγραφόμενον; Ἥλλαξε δὲ καὶ μετέθηκε τάξιν τῶν ὁπλιτῶν ἐρωτικὸς ἀνὴρ Παμμένης Ὅμηρον ἐπιμεμψάμενος ὡς ἀνέραστον ὅτι κατὰ φῦλα καὶ φρήτρας συνελόχιζε τοὺς Ἀχαιούς, οὐκ ἐρώμενον ἔταττε παρὰ ἐραστὴν κτλ. — Quodnam habuerint nomen ephebi illi militibus amatoribus appositi in acie nescimus: tamen nomen παράτακτοι haud inepte ex eis locis quos modo attuli eis fuisse colligi posse arbitror. Quae uox etsi in nostris thesauris linguae Graecae non exstat tamen legitime a uoce παρατάσσειν quae admodum saepe talibus ephebis adhibetur deducta est. Similiter in Creta insula talis ephebus uocabatur παρασταθείς, quod ab uno Strabone X p. 484 traditum est his uerbis: Ἀφίεται δὲ ὁ παῖς δῶρα λαβὼν στολὴν πολεμικὴν καὶ βοῦν καὶ ποτήριον . . . Τοῖς δέ καλοῖς τὴν ἰδέαν καὶ προγόνων ἐπιφανῶν αἰσχρὸν ἐραστῶν μὴ τυχεῖν ὡς διὰ τὸν τρόπον τοῦτο παθοῦσιν. Ἔχουσι δὲ τιμὰς οἱ παρασταθέντες (οὕτω γὰρ καλοῦσι τοὺς ἁρπαγέντας)· ἔν τε γὰρ τοῖς χοροῖς καὶ τοῖς δρόμοις ἔχουσι τὰς ἐντιμοτάτας χώρας κτλ.

Alterum quod apud Nonium est Lucilii fragmentum emendare mihi non contigit: Uarronis uerba ita ego quidem scripserim: *Paratactoe adsunt mulierque. Mulier uenus*[*tum*] *caput.* Uenustum caput, uelut Ter. Ad. V 9, 9 II 3, 8 *lepidum caput* dicit et *festiuom caput* neque aliter Graeci.

Libro XV uu. 410 sqq. L. 5 sqq. M ita leguntur:
Terriculas Lamias, Fauni quas Pompiliique
instituere Numae tremit has, hic omnia ponit.
ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
uiuere et esse homines sic istic omnia ficta
uera putant, credunt signis cor inesse in ahenis.
pergula pictorum, ueri nihil, omnia ficta.

---

[1]) Cfr. Plat. Menex. p. 249 A cum adnotatione Stallbaumii.

Quorum uersuum extremum quomodo intellegi uoluerint tacite indicarunt editores uerbis in tria cola ita dissectis, ut omnia quae antecedentibus uersibus culpauerit poeta clamitet esse omnia ficta, ueri nihil, pergula pictorum[1]). Sed pictorum mentionem fieri probarem si antea de Acherontis fabulosa regione ageretur, uelut apud Lucr. III 627: atqui in eos apparet invehi scriptorem, qui superstitiosa ueneratione signorum ridiculi sunt. Itaque nihil Polygnoti ad nostrum locum, sed Polycleti Phidiae alii, neque terriculamenta ista superstitiosorum ne omisso quidem uocabulo *ahenis* dici possunt opus pictorum sed *fictorum*. Audias Plut. de superst. 6 (mor. p. 167 E): Εἶτα χαλκοτύποις μὲν (sc. οἱ δεισιδαίμονες) πείθονται καὶ λιθοξόοις καὶ κηροπλάσταις ἀνθρωπόμορφα τῶν θεῶν τὰ σώματα εἶναι καὶ τοιαῦτα πλάττουσι καὶ κατασκευάζουσι καὶ προσκυνοῦσι· φιλοσόφων δὲ καὶ πολιτικῶν ἀνδρῶν καταφρονοῦσιν κτλ. Dein Zenonem apud eundem de Stoic. repugn. 6 (mor. p. 1034 B): εἶτα δόγμα Ζήνωνός ἐστιν ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν· ἱερὸν γὰρ μὴ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οὐκ ἔστιν· οἰκοδόμων δ' ἔργον καὶ βαναύσων οὐδέν ἐστι πολλοῦ ἄξιον. Huic correcturae qua in codice Taurinensi qui praebeat *omnia picta* bis opus est coniungatur alia totius uersus interpretatio. Nimirum ego quidem nego simulacra deorum posse dici *pergula* fictorum uelut si dicantur *opus* fictorum: nam pergula pars aedificii uel taberna est, in qua artifices opus faciebant et uenale proponebant, doctores docebant. Marquardt Roem. Alterth. V 1 p. 93 Iuu. XI 137): templa quidem ipsa puto uocari posse ab homine simulacra deorum insectante pergulas opificum, signa ipsa nego. *Pergula* uox primum apud Plautum (Pseudol. 214 R) occurrit eadem significatione qua ἐργαστήριον apud Demosth. contr. Neaer. 67[2]). Itaque scribendum esse arbitror

pergula fictorum ueri nihil, omnia ficta

---

[1]) De sententia conf. Plut. de superst. 4 (mor. p. 166 F): Ἔστι δούλῳ φεύξιμος βωμός, ἔστι καὶ λῃσταῖς ἀβέβηλα πολλὰ τῶν ἱερῶν καὶ πολεμίους φεύγοντες, ἂν ἀγάλματος λάβωνται, θαρροῦσιν· ὁ δὲ δεισιδαίμων ταῦτα μάλιστα φρίττει καὶ φοβεῖται καὶ δέδοικεν κτλ.

[2]) Dem l. l. ὁπόσαι ἂν ἐπ' ἐργαστηρίου καθῶνται = ἐπ' οἰκήματος καθῶνται (in fornice): Herm. Gr Antiqu. III § 29, 10.

uidelicet procreat, gignit. Uerbum omissum esse apud poetam qui sermoni propriora scripserit non mirabere collato Madv. gramm. Lat.[3] § 479[1]) neque minus concedes egregie ambiguitatem uerbi *fictorum* congruere cum uoce pergula: loquitur enim Lucilius ut homo uere Graecus uel Romanus, quibus quantopere contemptui fuerint opifices omnes artificibus egregiis non exceptis docent Herm. Gr. Antiqu. III § 41, 15 Marquardt Roem. Alterth. V 2 p. 9. Similiter Cic. de off. I 150 'nec enim quicquam ingenuum habere potest officina'. De sententia totius loci conf. Sen. fragm. 120. 121 (Haase) e Lactantio: 'Simulacra deorum uenerantur. Illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum adsident diem aut adstant, illis stipem iaciunt, uictimas caedunt: et cum haec tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecere contemnunt' . . .

Libro XV uu. 420. 421 L 28. 29 M sic traditos in codicibus ap. Non. p. 445:

quae gallam bibere et rugas conducere uentris
farre aceroso olei decumano pane cumano
coegit

correxere editores hunc in modum priorem nihil mutantes

farre aceroso, oleo decumano, pane coegit

nisi quod L., quia *oleo* ineptum esse uidit, scripsit *oleris*: uocem *cumano* omnes ut librarii mendo natam eiecerunt. Interpretatur Nonius l. l. uocem *acerosum* his uerbis: 'Acerosum namque panem farre minus purgato nec sordibus a candido separatis dicendum ueteres putauerunt . . . Hunc Graeci αὐτόπυρον uocant'[2]). Panis eiusmodi dicitur sordidus (Plaut. Asin. I 2, 16. ῥυπαρός Athen. VI p. 246 A) uel αὐτοπυρίτης

---

[1]) Conf. Ter. Phorm. I 2, 30: 'Noster mali nil quicquam primo' Uerg. Aen II 287 'Ille nihil'. Ouid. met. V 30: 'Ille nihil contra'. Cic. ad fam. XVI 18: 'Sed tu nullosne tecum libellos; an pangis aliquid Sophocleum?' — Et sic passim, praesertim in Ciceronis epistulis.

[2]) Cels. II 18 de pane disserens: 'deinde cui nihil demptum est, quod αὐτόπυρον Graeci uocant'.

Athen. III p. 110 E, cui contrarium est καθαρός, σητάνειος, (Herm. Gr. Antiquit. III 24, 16), panis mundus, siligineus qui uocatur. Agitur mea quidem sententia in illis uu. de paupertate qualem philosophi describunt saepenumero, parco ac tenui uictu uti cogente eodemque referenda uerba (u. 437 L 30 M)

non ergastilus unus

quibus significat poeta quod Graeci ἀδουλίαν uocant. (Aristot. polit. Ζ p. 1323ª 6. Herm. l. l. 12, 18). Quae omnia quo rectius intellegantur audias Teletem ap. Stob. floril. 97, 31 (σύγκρισις πενίας καὶ πλούτου): Τότε μὲν γὰρ ἐξ ἀνάγκης ἔδει ὑπόδημα ἔχειν καὶ ταῦτο ἀκάττυτον ἥλους οὐκ ἔχον, εἶτα χλανίδα, παίδων ἀκολουθίαν, οἰκίαν μεγάλην εἰς τὸ σύνδειπνον, ὅπως ἄρτοι καθαροί, ὄψον μὴ τὸ τυχόν, οἶνος ἡδύς e. q. s.; quae quidem ad diuitem omnia pertinent. Κατάλληλοι γὰρ πένητι οἱ ῥυπαροί[1]), πλουσίῳ δὲ οἱ παντελῶς καθαροί ut Artemid. I 69 explicat. Porro si quidem illis uersibus de paupertate agitur de qua saepe dicitur ἀναγκάζει, βιάζεται (Stob. floril. 95, 11. 96, 22), accipiendi certo sunt ut locus communis quod accusatiuus uerbo *coegit* obiectus nullus est, neque quicquam eiciendum sed non nihil corrigendum esse arbitror. Antea uero moneo poetam panem illum uilem significantem uti figura quam ἓν διὰ δυοῖν dicunt grammatici: etenim uerba *farre aceroso* et *decumano pane* ad idem pertinent. Quorum extrema ut prorsus intellegas legas Athen. III p. 110 D: Πλάτων δὲ ὁ κωμῳδιοποιὸς ἐν Νυκτὶ μακρᾷ τοὺς μεγάλους ἄρτους καὶ ῥυπαροὺς Κιλικίους ὀνομάζει διὰ τούτων

Κᾷθ' ἧκεν ἄρτους πριάμενος
μὴ τῶν καθαρύλλων ἀλλὰ μεγάλους Κιλικίους.

Iam escarum nominibus aptis restitutis sic uelim hos uu. scripseris:

quae gallam bibere et rugas conducere uentris
farre aceroso, oleis, decumano pane, cumino
cogit

---

[1]) Sc. ἄρτοι.

Oleae trublion pro cibo modico Plaut. Stich. V 4, 9, familiae pulmentarium Cat. d. r. r. 58: praecipue conf. Plut. de tranq. an. 3 (mor. p. 466 D): Ὁ γὰρ χθὲς ᾠὰ καὶ ἀμύλια καὶ σητάνειον ἄρτον διαπτύων τήμερον αὐτόπυρον ἐπ' ἐλαίαις ἢ καρδαμίδι σιτεῖται προσφιλῶς καὶ προθύμως [1]). Cuminum quod hic pani accedit condimentum sicut illic cardamis, res uilissima, ut uerba comica κυμινοκίμβιξ, κυμινοπριστοκαρδαμογλύφος auarum significantia testantur: neque uero sales pro condimento uilissimo habentur, ut Luc. Tim. 56 demonstrat. Postremo *cogit* pro tradito *coegit* posui numeris et sententia cogentibus. Perfectum enim uix aptum est.

Libro XV 443 L 32 M

scit poeeticon esse, uidet toga et tunica quid sit

Mueller *poleticon* scripsit, quod recte refutat Keller in Mus. Rhen. XXXI p. 143; qui *poeeticon* ad poesin refert dicique putat: Der Weise weiss Wahrheit und Dichtung zu unterscheiden, er weiss, was Hut ist und was Haube'. Hoc quidem non recte. Sententiam intelleges si comparaueris Alexid. (3. 382 Mein.):

Λέγεις περὶ ὧν οὐκ οἶσθα, συγγενῶς τρέχων
Πλάτωνι καὶ γνώσει λίτρον καὶ κρόμμυον [2]).

Ludit igitur philosophos Lucilius inprimis Platonicos: conf. quae de Platonis placitis tradit Laert. III 84: Τῆς ἐπιστήμης εἴδη ἐστὶ τρία· τὸ μὲν γάρ ἐστι πρακτικόν, τὸ δὲ ποιητικόν, τὸ δὲ θεωρητικόν. Ἡ μὲν γὰρ οἰκοδομικὴ καὶ ναυπηγικὴ ποιητικαί εἰσιν. Ἔστι γὰρ αὐτῶν ἰδεῖν ἔργον πεποιημένον· πολιτικὴ δὲ καὶ αὐλητικὴ καὶ κιθαριστικὴ καὶ αἱ τοιαῦται πρακτικαί· οὐ γάρ ἐστιν οὐδὲν ἰδεῖν θεατὸν αὐτῶν πεποιημένον, ἀλλὰ πράττουσί τι . . . Τῶν ἄρα ἐπιστημῶν αἱ μέν

---

[1]) Luc. pisc. 45. far acerosum Cynici cibus: oleae pro cibo uili Laert. II 129 Plut. de sanit. praec. cap. 7 (mor. p 125 F). Panis decumanus, sicut decumana oua, decumanus acipenser apud Lucilium: apud Macrobium III 19, 6 pirum decimanum.

[2]) Conf. Epicrat. 3, 370, ubi colocynta quid sit definiunt Platonici.

εἰσι θεωρητικαί, αἱ δὲ πρακτικαί, αἱ δὲ ποιητικαί. Eadem dicit Latine Quintil. II 18 'Cum sint autem artium aliae positae in inspectione . . . aliae in agendo . . . aliae in effectu. quae operis, quod oculis subicitur, consummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴν appellamus' e. q. s. Conf. praeterea Plat. Soph. p. 219 BD 265 A Aristot. de part. anim. α p. 640ᵃ 27: Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν αὐτομάτως δοκούντων γίνεσθαι, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν τεχναστῶν. Ἔνια γὰρ καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου γίνεται ταὐτὰ τοῖς ἀπὸ τέχνης οἷον ὑγίεια. Τῶν μὲν οὖν προϋπάρχει τὸ ποιητικόν, οἷον ἀνδριαντοποιητική· οὐ γὰρ γίνεται αὐτόματον. Magna mor. α p. 1197ᵃ 3 Ἔστι δὴ τῶν ποιουμένων καὶ πραττομένων οὐ ταὐτὸ τὸ ποιητικὸν καὶ πρακτικόν· τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐστί τι παρὰ τὴν ποίησιν ἄλλο τέλος, οἷον παρὰ τὴν οἰκοδομικήν, ἐπειδή ἐστι ποιητικὴ οἰκίας, οἰκία αὐτῆς τὸ τέλος παρὰ τὴν ποίησιν. Ὁμοίως ἐπὶ τεκτονικῆς καὶ τῶν ἄλλων τῶν ποιητικῶν. Top. ζ p. 145ᵃ 12 Metaph. ε p. 1025ᵇ 25. *Poeeticon* illud referatur necesse est ad hanc de artibus doctrinam, quam ludit poeta cum dicit de philosopho: 'Scit artem fullonum et textorum ποιητικήν esse uidet toga et tunica quid sit'.

Libro XVI uu. 450 sqq. L 6 sqq. M Bentino auctore sic correctos

Rex Cotus ille duo hos uentos, austrum atque aquilonem
nouisse aiebat *se* solos demagis: istos
ex nimbo austellos nec nosse nec esse putare.

a nullo[1]) adhuc explicatos esse uideo.

Omitto quidem hoc loco de uocabulo *demagis* quaerere amplius: quod cum Philoxenos uertat σφοδρῶς alius glossator apud Loewium prodr. gloss. p. 332 *uehementer* uoce explicet, apud Paulum p. 71 recte correxisse arbitror uiros doctos *nimis* e *minus*: unde efficitur Nonium duobus uocabulis interpretari (p. 98) *demagis: ualde, magis:* nam *ualde magis* Latinum num

---

[1]) Salmasius exercitat. Plin. p. 882 nihil ad hunc locum, quem laudat, explicandum attulit.

sit, dubito: Nonium autem saepissime sic interpretari, ueluti *Flaccet: languet, deficit* (p. 110) — *Acre: prouidum, diligens* (p. 241) nemo non animadvertit. — Iam ad Lucilii uersus accedamus.

Atque primum quidem statuendum est, agi his uersibus de dicto regis cuiusdam Thraciae: licet enim regibus Paphlagonum[1]) aliorum nomen fuerit Cotys, tamen maiore fama qua Thracum reguli isto nomine praediti utebantur apud antiquos inducimur de Thraciae rege cogitare: quo etiam uentorum mentio nos vocare uidetur. Cotyes plures cum norimus tales de duobus tantum datur optio, utrum Lucilius illis uersibus intellegi uoluerit. Alter Lucilio adulescente bello Macedonico initio cum a Persei partibus stetisset, tamen postea in gratiam populi Romani acceptus est, uir Thracum intemperantiae alienus, et bello strenuus et moribus humanus (Liu. 42, 29. 51. 57. 58. 67. 44, 42. 45, 6. 42. Polyb. 27, 10. 30, 12. Diod. 30, 3. 37, 5). At multo famosior apud scriptores antiquos Cotys Cersobleptis pater, Iphicratis socer, ab Atheniensibus ciuitate donatus, homo barbarus saeuus crudelis, interfectus a Pythone et Heraclide Aeniis, de quo multa historici oratores philosophi comici: Demosth. Aristocr. 8. 119. Harpocr. s. u. Aristot. polit. ε p. 1311 b 21 oecon. β p. 1351 a 18—32. Anaxandr. Mein. com. Gr. 3, 182 Theopomp. ap. Athen. XII p. 531 E alii. Hunc Philippi Macedonis aequalem potius intellegi a Lucilio putauerim propterea quod uix uerisimile iudico alterius illius reguli uicti et in gratiam accepti dicta Romanis in ore fuisse: at contra huius dicta nonnulla apud Plut. apophth. reg. et imp. mor. p. 174 DE. Stob. 48, 45 Ual. Max. III 7, ext. 7 traduntur: ad quae hoc quoque Lucilianum pertinere mihi uidetur, siquidem uerba *Rex Cotus ille aiebat* non applicanda sunt ad unam et certam causam, sed quae eorum est natura ἀποφθεγματικῶς dicta esse apparent.

Iam dictum Cotyis paullo subtilius excutiamus. Dixisse traditur sese *solos* austrum atque aquilonem nosse. Quae sententia quamquam ueterum physicis accepta non fuit, tamen

---

[1]) Xen. Ages. II 26 III 4.

inueniuntur apud Strab. I p. 29 similia haec: Εἰσὶ δέ τινες οἵ φασιν εἶναι δύο τοὺς κυριωτάτους ἀνέμους βορέαν καὶ νότον, τοὺς δὲ ἄλλους κατὰ μικρὰν ἔγκλισιν διαφέρειν, τὸν μὲν ἀπὸ θερινῶν ἀνατολῶν εὖρον, χειμερινῶν δὲ ἀπηλιώτην, δύσεων δὲ θερινῶν μέν ζέφυρον, χειμερινῶν δὲ ἀργέστην. Τοῦ δὲ δύο εἶναι τοὺς ἀνέμους ποιοῦνται μάρτυρας Θρασυάλκην[1]) τε καὶ τὸν ποιητὴν αὐτὸν τῷ τὸν μὲν ἀργέστην τῷ νότῳ προσνέμειν 'ἀργεστᾶο Νότοιο', τὸν δὲ ζέφυρον τῷ βορέᾳ 'βορέης καὶ ζέφυρος, τώ τε Θρήκηθεν ἄητον'. Φησὶ δὲ Ποσειδώνιος μηδένα οὕτως παραδεδωκέναι τοὺς ἀνέμους τῶν γνωρίμων περὶ ταῦτα οἷον Ἀριστοτέλη Τιμοσθένη Βίωνα τὸν ἀστρολόγον κτλ.[2]) Sed ista physicorum nonnullorum opinio nihil ad uersus Lucilii: apud Strabonem enim comparantur aquilo austerque cum omnibus reliquis uentis, in his Cotys rex ab illis uentis secernit non zephyrum eurum alios, sed 'istos ex nimbo austellos', genus quoddam austrorum. Uel inde opinor, apparet Cotyn non agere reuera de uentis, sed uti tralatione usitatissima: neque enim ceteros uentos Thraci[3]) esse ignotos ullo modo credi potest. Accurate si illa verba *istos ex nimbo austellos* interpretatus eris, neque nubilos austros intelleges qui *cum* nebulis feruntur et consenties mecum Lucilium uertere Graeca uerba νότους ἐκνεφίας, qui optime cum iusto ac uero austro atque aquilone contenduntur, quod ab austro diuersum genus uentorum sunt. Ἐκνεφίας enim uocatur ὁ ἐκ νέφους ἄνεμος, conf. Hesych. Suid. E. M. s. u. de quo Aristot. de mundo p. 394[b] 18: οἱ δὲ κατὰ ῥῆξιν νέφους γινόμενοι καὶ ἀνάλυσιν τοῦ πάχους πρὸς ἑαυτοὺς ποιούμενοι ἐκνεφίαι καλοῦνται: adde meteorol. β p. 366[b] 33 probl. κς p. 940[b] 30. Plin. II 131: 'Nunc de repentinis flatibus qui exhalante terra, ut dictum est, coorti rursusque deiecti, interim obducta nubium cute multiformes exsistunt. Uagi quippe et ruentes torrentium

---

[1]) Thrasyalces Thasius τῶν ἀρχαίων φυσικῶν εἷς οὗτος Posidon. ap. Strab. XVII p. 790.

[2]) Tres uentos agnouit Acusilaus apud Hesiodum: conf. schol. theogon. 379: ceteros μαψαύρας poeta dicit u. 872 aut ecnephias aut ecnephiis similes.

[3]) Thracia uentorum domicilium apud Homerum dicitur: Preller Griech. Mythol. I p. 386.

modo (ut aliquis placere ostendimus) tonitrua et fulgura edunt. Maiore uero inlati pondere incursuque si late siccam rupere nubem procellam gignunt quae uocatur a Graecis ecnephias'. Sen. nat. quaest. V 12 'Sunt quaedam genera uentorum, quae ruptae nubes et in pronum solutae emittunt: hos Graeci uentos ecnephias uocant' e. q. s. Aquilones ecnephiae cum uix exsistant teste Aristot. meteorol. γ p. 371ᵃ 3, quem uertit Plin. II 133, memoratur ἐκνεφίας νότος Diod. XX 88. Postremo bene recteque dicit Lucilius ὑποκοριστικῶς *istos ex nimbo austellos*, contra *austrum* atque aquilonem; μεγάλοι μὲν γὰρ ἄμφω καὶ πλεῖστον χρόνον πνέουσι (Theophr. de uent. I 2) boreas et notus: at de ecnephia Seneca l. l. 'His interuallis tenuis includitur spiritus, qui maius desiderat spatium . . . . scinditque cingentia et erumpit in uentum, qui fere procellosus est, quia superne demittitur et in nos cadit uehemens et acer, quod non fusus neque per apertum uenit, sed laborat et iter sibi ui ac pugna parat. Hic fere *breuis flatus* est . . . . Hi uenti multo maiores diuturnioresque sunt, si alios quoque flatus ex eadem causa fluentes in se abstulerunt et in unum confluxere plures' e. q. s. Conf Arrian. ap. Stob. eclog phys. I p. 602 . . . ἐν νέφει δὲ ἀπολῃφθέντες ἔπειτα ῥηγνύντες βίᾳ τὸ νέφος βροντάς τε καὶ ἀστραπὰς ἐξέφηναν. Ἐκπίπτοντες δ' ἐπὶ μέγα διάπυροι μέν, κεραυνοί· ἄθροοι δὲ καὶ ἡμίπυροι, πρηστῆρες· ὅσοι δ' ἔρημοι πυρός, τυφῶνες· οἱ δὲ ἔτι ἀνειμένοι, ἐκνεφίαι. Ioann. Lyd. de mens. IV 76 οἱ ἀπὸ μεγάλης ἀρχῆς ῥέοντες ἄνεμοι εἰς δώδεκα μέρη τοῦ ὁρίζοντος διαιροῦνται . . . τῶν δὲ ἀπὸ μεγάλης ἀρχῆς ὁ μὲν ἀπ' ὀλίγης φορᾶς νέφους ἐκνεφίας κτλ. Ceterum Lucilius non solus apud Romanos composuit austrum atque aquilonem cum ecnephia, sed eodem fere tempore S. Turpilius in Demetrio palliata, quam ex Alexidis Demetrio seu Philetaero uertit: conf. Alex. Demetrii uersus ap. Athen. VIII p. 338 D (Mein. com. Gr. 3, 403):

Πρότερον μὲν εἰ πνεύσειε βορρᾶς ἢ νότος
ἐν τῇ θαλάττῃ λαμπρός, ἰχθῦς οὐκ ἂν ἦν
οὐδενὶ φαγεῖν· νυνὶ δὲ πρὸς τοῖς πνεύμασιν
τούτοις Φάϋλλος προσγέγονε χειμὼν τρίτος.
ἐπὰν γὰρ ἐκνεφίας καταιγίσας τύχῃ

ἐς τὴν ἀγοράν, τοὔψον πριάμενος οἴχεται
φέρων ἅπαν τὸ ληφθέν, ὥστε γίγνεται
ἐν τοῖς λαχάνοις τὸ λοιπὸν ἡμῖν ἡ μάχη.

quorum initio sunt uu. duo Turpilii Demetrii ap. Non. p. 488 (Ribb. fr. com. Lat. p. 75) seruati qui respondeant. Itaque duos χειμῶνας sese nosse solos Cotys dicit apud Lucilium, non ἀνέμους: quod utrumque *uentus* uocabulum potest significare: tertium genus omnino non agnoscit Thrax *austellos ex nimbo* quos appellat. Uox *nimbus* bene se habet: conf. Lucr. VI 256 sqq :

Praeterea persaepe niger quoque per mare *nimbus*
ut picis e caelo demissum flumen, in undas
sic cadit effertus tenebris procul et trahit atram
fulminibus grauidam tempestatem atque procellis
ignibus ac *uentis* cum primis *ipse repletus* . . . e. q. s.

Huc usque licet in interpretatione illorum Lucilii uersuum pervenire, amplius quid significent nisi nouis explicationis subsidiis repertis indagari uix poterit. Fortasse translatio ista [1]) de austro et aquilone inter se reluctantibus uentis eo pertinet quod de duplici genio hominibus singulis adposito teste Censorino d. die nat. III 3 libro saturarum XVI Lucilius egit: quos vero σκηπτούς unl καταγισμούς poeta istis ex nimbo austellis significarit, plane incertum. Ut ab hac hariolatione ad certius aliquid transgrediar, monitum uelim hanc de duplici genio doctrinam ab Empedocle esse excogitatam

---

[1]) Quam quidem translationem usitatissimam esse uix est quod moneam: conferas uelim Hom. I 5:

ὡς δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα
Βορέης καὶ Ζέφυρος τώ τε Θρήκηθεν ἄητον
ἐλθόντ' ἐξαπίνης . . . . .
ὣς ἐδαΐζετο θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν Ἀχαιῶν.

Apud Antiph. 3, 111 Mein. dicit parasitus

καὶ καλοῦσι μ' οἱ νεώτεροι
διὰ ταῦτα πάντα σκηπτόν· (conf. Alexis 3, 467)

Eupolis 2, 570 Mein. nebulonem quendam uocat ἄνεμος καὶ ὄλεθρος: porro σκηπτὸς πόθος (πόθου Iacobs) Aspasia ap. Athen. V p. 219 E (conf. Plut. amator. 16 mor. p. 759 F) et similia passim. —

teste Plut. de tranq. an. 15 (mor. p. 474 B): Οὐ γὰρ ὡς ὁ Μένανδρός φησιν

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ
εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου
ἀγαθός

ἀλλὰ μᾶλλον ὡς Ἐμπεδοκλῆς διτταί τινες ἕκαστον ἡμῶν γενόμενον παραλαμβάνουσι καὶ κατάρχονται μοῖραι καὶ δαίμονες·

Ἔνθ' ἦσαν Χθονίη τε καὶ Ἡλιόπη ταναῶπις,
Δῆρίς θ' αἱματόεσσα καὶ Ἁρμονίη θεμερῶπις,
Καλλιστώ τ' Αἴσχρη τε, Θόωσά τε Δηναίη τε,
Νημερτής τ' ἐρόεσσα μελάγκαρπός τ' Ἀσάφεια.

Neque enim ex Censorini uerbis 'Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis genium dicit adpositum, quam rem apud Lucilium in libro satirarum XVI licet cognoscere', cum Censorinus ipsum Lucilium uix legerit, potest colligi Lucilium ex Euclide illud desumptum protulisse, cum ueri similius sit, hos ambos Siculum esse secutos.

Libro XIX uu. 493. 492 L 6. 5 M inter se coniunctis haec oritur sententia:

Peniculamento uero[1]) reprehendere noli
Ut pueri infantes faciunt, mulierculam honestam

Recte enim dicitur *reprehendere aliquem pallio*, λαβέσθαι τινὸς τοῦ ἱματίου, quod faciebant qui in itinere progredientes retinere uolebant colloquendi uel aliquid petendi causa: conf. Brix ad Plauti Mil. I 1, 55 Stallb. ad Plat. rep. I p. 327 B.[2]) Quod cum usitatum et permissum fuerit inter uiros, rusticum atque insolens erat sine dubio si quis mulierem honestam

---

[1]) *uere* codd., corr. Dousa.

[2]) Sic apud Hom. Γ 385 Uenus Helenam adlocutura χειρὶ δὲ νεκταρέου ἑανοῦ ἐτίναξε λαβοῦσα. At Tityum rudem depingit Apoll. Rhod. I 760 ἐρύοντα καλύπτρης . . . θαρσαλέως Latonae. Mus. Her. et Leand. 118 Θαρσαλέως παλάμῃ πολυδαίδαλον ἕλκε χιτῶνα 123 Ξεῖνε, τί μαργαίνεις; τί με, δύσμορε, παρθένον ἕλκεις; Ἄλλην δεῦρο κέλευθον· ἐμὸν δ' ἀπόλειπε χιτῶνα.

tali modo compellabat; notum enim est qua uerecundia Romani homines mulieres in publico prosecuti sint quosque honores eis tribuerint: ὧν καὶ ταῦτά ἐστιν· ἐξίστασθαι μὲν ὁδοῦ βαδιζούσαις, αἰσχρὸν δὲ μηδένα μηδὲν εἰπεῖν παρούσης γυναικός κτλ. (Plut. Romul. 20 Ual. Max. V 2, 1): porro 'in ius uocanti matronam corpus eius attingere non permiserunt: ut inuiolata manus alienae tactu stola relinqueretur'. (Ual. Max. II 1, 5). Postremo si quis illud ueste homines reprehendere infantium maxime esse nondum aut in uita uidit aut in uasculorum Graecorum picturis, audiat Hom. X 493

δευόμενος δέ τ' ἄνεισι πάϊς ἐς πατρὸς ἑταίρους
ἄλλον μὲν χλαίνης ἐρύων ἄλλον δὲ χιτῶνος·

tum Π 7

τίπτε δεδάκρυσαι, Πατρόκλεις, ἠΰτε κούρη
νηπίη, ἥ θ' ἅμα μητρὶ θέουσ' ἀνελέσθαι ἀνώγει,
εἱανοῦ ἁπτομένη καί τ' ἐσσυμένην κατερύκει.

Libri XXVI fragmenta nonnulla explicaturus praemoneo disserere poetam hoc libro, quem omnium primum emisit, de toto genere poesis suae similiter atque libro XXX: quo rectius autem omnes huius libri reliquias intellegas, inprimis adhibendam esse Horatii libri alterius saturam primam apparebit.

Atque initio quidem libri sine dubio de eis egit Lucilius a quibus sua legi cuperet uu. scilicet compluribus: superstites sunt uu. 859 L XXVI 1. 2. XXIX 99 M, quos tamen falso contraxere editores nonnulli. Constat quidem Ciceronis testimonio de fin. I 7 reformidasse Lucilium doctissimorum hominum iudicium uelut Scipionis Rutilii Persii, et seruatur apud eundem de or. II 25 u. Lucilii hic

Persium non curo legere, Laelium Decumum uolo.

Dein laudat Cic. de rep. apud Plin. n. h. praef. 7 hos uu. Lucilii corruptos sine dubio sic distinguendos:

nec doctissimis † Manium
Persium † haec legere nolo, Iunium Congum uolo.

quos finxisse Plinium omnino credi non potest. Uersu altero deprauatum certo est *Manium*, quod metro repugnet: accedit quod Persio praenomen erat Gaio, (Cic. Brut. 99), quod

quominus Muellero auctore pro corrupta uoce ponas prohibet litterarum dissimilitudo. Uersu altero deest syllaba aut ante aut post uocem *haec* fluctuantem in codicibus. Quae cum ita sint, u. priore restituendum nomen hominis doctissimi esse uidetur Persio similis, sequente particula quaedam, quae duo nomina coniungat: uerum esse confido hoc:

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ nec doctíssimis. Manílium

Pérsiumue haec légere nolo, Iúnium Congúm uolo.

Qua corruptela nil frequentius esse notum est: uerae scripturae est propior unius codicis lectio *Mannium*. Sine dubio M'. Manilium cos. anno 605/149 dicit Lucilius, quem etiam Gellius XVII 7 in *uiris adprime doctis* numerat, notissimus ex Ciceronis scriptis, ubi inducitur uir prudens, Aemiliano atque eius amicis et iucundus et carus (de rep. I 18), iuris perifissimus (de or. I 212 de rep. III 17), propter eximiam sapientiae gloriam ab omnibus de omnibus rebus consuli solitus (de or. III 133). De Iunio Congo certi nihil scimus, quod in homine mediocriter docto mirum non est: nihil enim ad rem, quod Rothius [1]) apud Ciceronem homini doctissimo ex coniectura bis Congi nomen restituit (de or. I 256 pro Planc. 58). Neque Decimus Laelius potest idem esse, quem Ual. Max. IV 7, 7 exemplar optimi amici ponit: Ualerium errasse in praenomine dices si contuleris Uell. Paterc. II 127. Manifestum est Lucilium pluribus uu. doctissimorum de suis poematis iudicium a se repudiatum memorasse: amissi scilicet aliqui sunt in quibus de Aemiliani Rutiliique magna doctrina nil ad carmina sua pertinente eum mentionem fecisse e Cic. de fin. I 7 efficitur.

Dein de genere poesis suae cum interlocutore quem sibi fingit colloquitur: ut inuidiosissima et ingrata ne scribat monet aduersarius, ut Trebatius ille Horatianus, atque res praeclare gestas carmine epico ut concelebret potius poeta, his uu. 612. 572 L 10. 57 M

hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat:
percrepa pugnam Popilli, facta Corneli cane.

---

[1]) In Mus. Rhen. VIII p. 615. — *Manilius* ionicus a maiore (Iuv. VI 243).

Quos uu. recte inter sese coniungi intelleges si Horatio quo modo eos imitatus sit animum aduerteris sat. II 1, 10

Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris inuicti res dicere, multa laborum
praemia laturus [1]).

Porro sese excusat Lucilius eadem ratione qua Horatius: dicit enim u. 556 L 28 M

ego, si qui sum et quo folliculo nunc sum indutus, non queo [2])

noli mirari: non omnia possumus omnes. Conf. Hor. l. l. u. 24 sqq.

Quid faciam? Saltat Milonius . . .
Castor gaudet equis, ouo prognatus eodem
pugnis: quod capitum uiuunt, totidem studiorum
milia.

Quod multis uu. item exposuit Lucilius, quorum superstites ut intellegas supple: 'Non omnes eidem rei operam damus: sed ea hominum natura est (uu. 542. 543 L 9. 21 M)

ut ego effugiam quod te inprimis cupere apisci intellego
et quod tibi magnopere cordi est, mihi uehementer displicet.

Alii enim philosophiae operam nauant: sed nihil haec ad Lucilium: conf. uu. 544 L 14 M 610 L 23 M 582 L 20 M 545 L 19 M

tibi porro istaec res idcirco est cordi quod rere utilem [3]),
quodque te in tranquillum ex saeuis transfert tempestatibus.
Quare hoc colere est satius quam illa. Studium omne
hic consumere
Summis nitere opibus, at ego contra ut dissimilis siem . . .

studiis atque indole tibi, natura fecit. Tangit eos poeta qui philosophica scribebant illo tempore, Epicuri sine dubio secta-

---

[1]) Rem actam ago. Iam Corpetum recte Horatii loco collato illos uersus coniunxisse (edit. p. 147) sero uidi: tamen quia et recte inuentum est et ab omnibus neglectum post Corpetum et secundum proferre illud iuuat.

[2]) Hor. l. l. u. 12 'Cupidum, pater optime, uires Deficiunt; neque enim quiuis horrentia pilis Agmina . . . describet' e. q. s.

[3]) Corr. L (codd. *si tibi . . . re utilem*) partim Iunicem secutus. — *Utilem*, quia Epicureis philosophia *uitae ratio* est.

tores. Cum enim uiri Graecorum philosophia praecipue Stoicorum et Academicorum doctrina instituti Laelii et Scipionis aetate 'uita magis quam litteris' philosophiam persequerentur, interim illis silentibus C. Amafanium exstitisse dicit Cicero Tusc. IV 6, qui suis suorumque sectatorum libris permultis totam Italiam occuparet: hunc enim Amafanium Lucilii tempore floruisse e Ciceronis uerbis colligi licet. Talis philosophi iudicio satius est unam sapientiam colere, quam alias illas artes, quas antea dixit Lucilius, et, quod utilis est omnibus eius cognitio, perscriptam eam tradere curae eidem est opera animum ipsius pacante: conf. Epicur. ap. Laert. X 37 Ὅθεν δὴ πᾶσι χρησίμης οὔσης τοῖς ᾠκειωμένοις φυσιολογίᾳ τῆς τοιαύτης ὁδοῦ, παρεγγυῶν τὸ συνεχὲς ἐνέργημα ἐν φυσιολογίᾳ καὶ τοιούτῳ μάλιστα ἐγγαληνίζων τῷ βίῳ ἐποίησά σοι καὶ τοιαύτην τινὰ ἐπιτομὴν κτλ. (ex recensione quam fecit in prooem. Bonn. 1880/1 H. Usener). Cic. de fin. I 43 sqq. 'Sapientia enim est una . . . qua praeceptrice in tranquillitate uiui potest omnium cupiditatum ardore restincto . . . (45) Quae est enim aut *utilior* aut ad bene uiuendum aptior partitio (sc. cupiditatum), quam illa, qua est usus Epicurus'? De malacia animi et uitae per philosophiam comparata multa Epicurus et Epicurei: sufficit adferre Epicur. ap. Laert. X 128 ap. Plut. cum princip. esse philos. III 2 Lucr. V 8 sqq.:

dicendum est deus ille fuit, deus, inclyte Memmi,
qui princeps uitae rationem inuenit eam, quae
nunc appellatur sapientia, quique per artem
fluctibus e tantis uitae tantisque tenebris
in tam tranquillo et tam clara luce locauit.

Alius res gestas populi Romani conscribit, non certus homo, sed quem fingit poeta quemque adloquitur uu. 598 L 58 M 568 sqq. L 53 sqq. M:

ueterem historiam inductus studio scribis ad amores tuos,
ut Romanus populus uictus ui et superatus proeliis
saepe est multis, bello uero nunquam, in quo sunt omnia.

quos uu. quominus sic inter se consocies nulla res impedit, recte ita consociatos esse sententiae circuitus aptus qui euasit persuadet.

Postremo de se ipso suaque poesi loquitur Lucilius uu. 527 L 16 M sq.:

publicanus uero ut Asiae fiam, ut scripturarius,
pro Lucilio, id ego nolo, et uno hoc non muto omnia.

Quibus uu. sese extollit ut poetam ac uirum clara militia defunctum super cateruam illorum equitum Romanorum, qui publicanorum munere in prouinciis fungebantur. *Unum hoc* quod dicit, maxime satirica poesis est. Conf. Pers. I 121 Hoc ego opertum — Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi uendo Iliade. Archil. frg. 65: ἓν δ' ἐπίσταμαι μέγα Τὸν κακῶς με δρῶντα δεινοῖς ἀνταμείβεσθαι κακοῖς. Sese odisse clamat publicanos qui sordido quaestu utantur. Ut sim, inquit, eques Romanus, splendidissima profecto utor condicione, lautissimo uictu:

At libertinus, *tricorius*, Syrus ipse, ac mastigias
quicum uersipellis fio et qui cum commuto omnia.

(uu. 529. 530 L 64. 65 M.) Atque hos quidem duos uu., quos nondum recte uiderim intellectos paullo uberiore prosequi commentatione in animo est. Primum eam quam posui, sententiam ac non aliam subiciendam duco: ego inquit nolo mercator fieri, qualis fit libertinus et Syrus. Sunt isti uu. testimonium antiquissimum ni fallor de Trimalchionum et Zoilorum quaestu sordido et diuitiis: qua de re conf. Marquardt Roem. Alterth. V 1, p. 172 et Friedlaender Darstell.[4] I p. 371. 97. Uocabulo *Syrus* significat cum seruilis condicionis hominem, tum sordidum institorem, quam ad rem satis est adferre ipsius uerba e libro XV: . . . 'sacer ille tocoglyphos ac Syrophoenix' e. q. s. Cetera uerba si diligenter excutimus, possumus ni fallor Lucilium et linguam Latinam nouo augere uerbo. Apparet opinor subesse litteris *tricorius* uerbum maledicum simile ac *mastigias* quod homini illiberali imposuerit poeta, ac reuera *tricorius* eiusmodi uerbum est, modo recte explicetur. Etenim compositum e uerbis *tres* et *corius* siue *corium* quod significat e corio facta flagella aut potius copiam flagellorum et materiam, ipsum significat hominem flagritribam, dignum qui uapulando tria coria perimat; neque contra leges formatum est, si quidem dicitur *Trinummus Tricon-*

gius Triphallus triportentum triscurria triparcus. Quae uocabula cum fere omnia ἅπαξ εἰρημένα sint, uel inde intellegitur ad eiusmodi compositiones linguam inprimis esse propensam; Accedit quod praecipue in conuiciis eiusmodi uerba solent usu uenire, uelut *trifur trifurcifer triuenefica triuerbero trimastigia* (Ribb. fr. com. Lat. p. 323) omnia haec praeter unum quod bis inuenitur ἅπαξ εἰρημένα[1]). Augeri in omnibus istis uocabulis uim significationis idemque accidisse in sermone Graeco omnibus compertum est et nostris et antiquis grammaticis: conf. Eustath. ad Θ 488[2]): Τρισάθλιος . . . τρισκακοδαίμων . . . τρισόλβιος. Τοιαῦτα δὲ καὶ ἅπερ τῶν τις παλαιῶν ἔθετο παραδείγματα βλασφημιῶν τῶν ἀπὸ ἀριθμοῦ, οἷον τρισεξώλης ὁ πάνυ ἐξώλης, καὶ τριπέδων ὁ πολλάκις πεδηθεὶς πανοῦργος δοῦλος, ὃς καὶ πέδων πέδωνος ἐν ἁπλότητι λέγεται, καὶ στίγων εἴτουν στιγματίας. Φέρει δὲ καὶ ἀπὸ χρήσεως τοῦ κωμικοῦ τό· παλίμβολος τρίπρατος καὶ πολλάκις ἀπημπολημένος. Σοφοκλῆς δὲ τρίδουλον τὸν ἐκ προγόνων δοῦλον ἔφη, Ἀνακρέων δὲ τρισκεκορημένον τὸν πολλάκις ἐκσεσαρωμένον, Ἀρχίλοχος δὲ τρισοιζυρὴν πόλιν ἔφη τὴν Θάσον, Ἱππῶναξ δὲ τὸν τρία ὑπεραναβὰς ἀριθμὸν ἑπτάδουλον ἔφη τινά. Adde τριγίγας τρίπαλτος τριπιθήκινος τριπανοῦργος alia. Ludit igitur poeta libertinum propter uibices flagello factas, ut Martialis compedes priores Zoili ludit III 29 XI 37[3]): formauit autem uocem istam *tricorius* (conf. *duricorius* ap. Macrob. III 20, 1) ad similitudinem Graecae τριπέδων, quae significat ferriterum, qui iam tres compedes contriuit (Plaut. Capt. IV 2, 108) uersus istius Plautini sine

---

[1]) Agit de talibus formationibus Uarro sat. 179 B Quid? tu non uides in uineis, quod tria pala habeant, tripales dici?

[2]) Ex Suetonii libro περὶ δυσφήμων λέξεων ἤτοι βλασφημιῶν καὶ πόθεν ἑκάστη: Miller Mélanges de littérature grecque p. 325 Aristoph. Byz. ed. Nauck p. 177. Fresenius de Aristoph. et Suet. excerptis Byz. p. 112 et 145.

[3]) Similiter Plut. quaest. conuiu. II 1, 12 ἀπελεύθερον νεόπλουτον interrogat aliquis πῶς ἐκ τῶν λευκῶν καὶ μελάνων ἱμάντων φοινικοῖ γίνονται μώλωπες (Macrob. VII 3, 13): εὐτυχῶν μαστιγίας de Polybio Claudii libertino Mein. com. Gr. 4, 614. Conf. Anacr. frg. 21.

dubio recordatus qui est Poen. I 1, 10, ubi seruus plagosus facete:

Nunc mihi blandidicus es, heri in tergo meo
tris facile *corios* contriuisti bubulos.

h. e. tria tergina consumpsisti caedendo.

Uersus illos multos, quibus paratragoedat poeta, antecessit exhortatio interlocutoris eiusmodi: 'non animum populi capitis poetae (XXVI 4 M 853 L 575 L 34 M)

nisi portenta anguisque uolucris ac pinnatos scribitis.

Qui u. sine dubio ad Medeae (conf. Uarr. sat. 284 B) currum δρακόντων πτερωτῶν (hypoth. Eurip. Med.) pertinet, nam Triptolemi fabula Romanis parum nota uidetur atque Pacuuii Medum potius quam Ennii aut Accii Medeam tangi hoc u. arbitror propterea quod in Pacuuii fabula illa Medeae angues alites maxime animos hominum Lucilii tempore mouisse uidemus ex Cic. de rep. III 14, ubi Philus: 'Nunc autem si quis illo Pacuuiano inuehens alitum anguium curru multas et uarias gentis et urbes despicere et oculis collustrare possit, uideat primum' e. q. s. De sententia conf. Arist. poet. cap. 14.

Libro XXVII uu. 659. 660 L 12. 13 M

Cocus non curat cauda insignem esse ullam[1]), dum pinguis siet:
Sic amici quaerunt animum, rem parasiti ac ditias.

Ad eandem comparationem parasiti cum amico refero libri XXVII u. 624 L 35 M ubi codd.

Ille contra omnia inter plures sensim et pedetemtim foris ne quem laedat

Ubi quid sit *contra omnia*, non uideo: *contra* aduerbium potius est, quod pertinat ad *ille*. Itaque *omnia* corruptum est: deest praeterea uerbum eundi. Puto Lucilium scripsisse:

ille contra homo intrat plures sensim et pedetemptim foris ne quem laedat

et respicere Diodori comici (3, 543 Mein.) uersus de parasito (5 sqq.) ex Epiclero fabula:

---

[1]) Corr. Ribbeck haec uerba in Mus. Rhen. XXIX p. 123.

τὸ γὰρ παρασιτεῖν εὗρεν ὁ Ζεὺς ὁ φίλιος . . .
οὗτος γὰρ εἰς τὰς οἰκίας εἰσέρχεται
οὐχὶ διακρίνας τὴν πενιχρὰν ἢ πλουσίαν . . .
κἀγὼ ποιῶ νῦν τοῦτ' ἐπὰν κλίνας ἴδω
ἐστρωμένας καὶ τὰς τραπέζας εὐτρεπεῖς
καὶ τὴν θύραν ἀνεῳγμένην, εἰσέρχομαι
ἐνθάδε σιωπῇ καὶ ποιήσας εὐσταλῆ
ἐμαυτόν, ὥστε μὴ' νοχλεῖν τὸν συμπότην.

Plures fortasse corruptum est, fortasse melius intellegeretur, si uersus antecedentes seruati essent: comparatur parasitus cum amico, quem incessu certo et erecto amici tantum limen intrare fortasse dixit: at ille furtim irrepit, nimirum (u. 629 L 20 M)

facit idem quod illi qui inscriptum e portu exportant clanculum
ne portorium dent

Uersu priore *illi* metro repugnans difficile correctu sane est (Mueller d. r. m. p. 428), nam *ille* pronomen aptissimum iudico: *hi* a uiris doctis proposito praestat *ei* uocabulum, si sensum enuntiati spectas.

Ἅπαξ εἰρημένον exstat in lib. XXVII u. 634 L 27 M:
uiginti domi an triginta an centum *cibicidas* alas,

quod unde deductum sit, nemini dubium esse potest, quid significet, alii aliter iudicauere (Loewe prodr. gloss. p. 307). Recte autem eos iudicasse qui parasitos isto uocabulo uocari sumpserunt [1]) inde efficitur, quod Lucilius id aperte e Graeco σιτόκουρος uidetur uertisse, de quo Athen. VI p. 247 E: Τῷ δὲ παράσιτος ὅμοιά ἐστιν ὀνόματα ἐπίσιτος . . . καὶ οἰκόσιτος, σιτόκουρός τε καὶ αὐτόσιτος κτλ. Utuntur hac uoce comici in locis huic Luciliano simillimis, uelut Menand. 4, 196 Mein.

---

[1]) E. Fischer d. uocibus Lucilianis Halis 1881 p. 34 seruos significari putat secutus Loewium; Mueller tacet. Uerum suspicatus est unus Corpetus (edit. p. 164) ab omnibus neglectus. Etiam Duentzer, die roem. Satiriker p. 43 seruos dictos esse cibicidas putat.

σιτόκουρον ἄθλιον
ἄχρηστον εἰς τὴν οἰκίαν εἰλήφαμεν.

Idem 4, 139:

ὡς ὀκνηρός, πάντα μέλλων, σιτόκουρος ὁμολογῶν
παρατρέφεσθαι

Alexis 3, 467 ἔσει περιπατῶν σιτόκουρος. Pertinet hic u. ad parasitorum et amicorum comparationem, quam facit libro XXVII poeta: de amicitia omnium hominum communi u. 647 L 30 M:

certa sunt, sine detrimento quae inter sese commodent sic disposito agitur. Conf. Cic. de off. I 51: 'Una ex re satis praecipitur, ut, quidquid sine detrimento commodari possit, id tribuatur uel ignoto'. Dicit Lucilius, esse certa quaedam, tam minuta, quae sine detrimento homines inter sese commodent, qualia Ennius et Cicero l. l. enumerant praebere ignem, monstrare uiam, non prohibere aqua, dare consilium fidele alia. Aliter Muellero uidetur.

Libro XXVII u. 40 M 540 L emendatio nondum inuenta est mea sententia; codices praebent talem:

ardum miserrimum atque infelix signum sabucum uocat

editiones ex parte correctum ita fere:

ardum *miserrimum* atque infelix lignum sabucum uocant.

Plurima recte sic constituta cum uideantur, una uox *miserrimum* metro refragatur in superlatiuo posita, cum per se sit aptissima. Et Muelleri et Franckeni coniecturas reprobo: ipse hunc u. alio modo legere malo quam mutare: postremo ad interpretationem aliquid afferre me posse arbitror. Etenim si Plauti aetate u. scriptus esset, nihil dubitares recte sic esse traditum contendere:

árdum míserrimum átque infelix lígnum sabucúm uocant.

dixit enim Plautus *símĭllumae sátĕllites uicĭssatim Phílĭppeum* similia (Brix Trin. p. 17). At Lucilio concedi idem sane non potest, nisi ludere aut in tragicum Ennio uestustiorem aut in 'legem quandam horrendi carminis' (Liu. I 26, 6 Cic. pro Rabir. perd. 13 'Caput obnubito, arbori infelici suspendito') sumamus. Quod cum satis uerisimile sit, nil correxerim.

Neque enim uersu in duas partes discisso, qualia ualde raro habet fragmenta Nonius, ulla afferri potest medela numeris repugnantibus et cum Nonii libris et lemmate ipso uetetur scribi quod facile potuit Lucilius nec inepte:

áridum miserum átque infelix lígnum sabucúm uocant,

— nam *aridum* formam usurpat libro IX 313 L 6 M — de industria adhibuisse formas *ardum míserrimum* putandus est. Ego quidem coniecturis repudiatis de hoc uersu sic malo statuere quam ad unum omnia egregie dicta uerba corrigere.

Interpretatus est Franckenius hunc locum in *coniect. crit. ad Lucil. libr. decadem II et III* p. 6 ex Plin XXIX 57 . . . 'supplicia annua canes pendunt inter aedem Iuuentatis et Summani uiui in furca sabucea armo fixi' ita, ut conquerantur de supplicio canes et quo nomine tortores homines suo sermone, non canino materiam furcae appellent, commemorent. Errauit. Haec uerba non dicunt canes, sed homines: neque enim ideo sabucus lignum infelix est, quod canes in ea suspenduntur; sed quia arbor illa infelix habetur, propterea in ea canes solent supplicio affici. Plin. XVI 108 de arboribus: 'Infelices autem existimantur damnataeque religione quae neque seruntur unquam neque fructum ferunt'. cf. XXIV 68. 73[1]). Sed haec minus ad rem: interpretemur oportet h. u. ex Tarquitii Prisci ostentario arborario apud Macrob. III 20, 3: 'arbores quae inferum deorum auertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant: alternum, sanguinem[2]), filicem, ficum atrum, *quaeque bacam nigram nigrosque fructus ferunt*' e. q. s. Et antea (2): 'Sciendum quod ficus alba ex felicibus sit arboribus contra *nigra ex infelicibus*. Docent nos utrumque pontifices' e. q. s. Atqui 'sabuci acinos habent *nigros*' (Plin. XVI 180). — Tangit igitur poeta hoc u. doctrinam pontificum. U. 627 L 38 M huic simillimo philosophorum maxime Stoicorum sententias irridit:

insanum uocant, quem maltam ac feminam dici uident.

---

[1]) Uerg. georg. II 314 Aen. VI 230. Plin. XIII 116. Pallad. Apr. II 1.

[2]) H. e. alaternum, sanguineam Plin. XVI 108 XXIV 73.

quae apte interpretabere Hor. sat. II 3 cum tota, tum uu. 77 sqq. comparatis:

Audire atque togam iubeo componere, quisquis
ambitione mala aut argenti pallet amore
quisquis luxuria tristiue superstitione
aut alio mentis morbo calet: huc proprius me,
dum doceo insanire omnes, uos ordine adite.

Exstat tertius u. 628 L 39 M: 'quae pietas! monogrammi quinque adducti pietatem uocant' qui mihi nondum uidetur aut emendatus aut satis explicatus esse.

Libri XXVIII u. 682 L 46 M recte praebet editio Muelleriana:

Socraticum quidam tyranno misse Aristippum autumant. Quanquam enim maluerit quis senarios restituere, qui ceteris trimetris philosophica continentibus adiciantur, tamen hoc ipsum Lachmanno parum feliciter cessit — nam de Aristippo a Socrate Dionysio misso nil scimus — neque assequare nisi iniuste tradita uerba agas et feras. Commendauit post Lachmannum Francken l. l. p. 23, qui scribit „quiddam" aliam interpretationem. Huius sententia 'secundum poetam fama fuit, scriptum aliquid Socratis olim ab Aristippo Dionysio datum fuisse'. Quae sententia nulla re probatur. Mihi uidetur *Socraticum* pertinere ad *Aristippum*, qui sic audire soleat (Cic. ad fam. IX 26, 2 Tusc. II 15). Quid Aristippus Dionysio miserit uidemus ex Laert. II 83: Τοῦ δὲ Κυρηναϊκοῦ φιλοσόφου φέρεται βιβλία, τρία μὲν ἱστορίας τῶν κατὰ Λιβύην, ἀπεσταλμένα Διονυσίῳ[1]), ἓν δὲ ἐν ᾧ διάλογοι πέντε καὶ εἴκοσιν κτλ. Exstat etiam alius liber, χρεία πρὸς Διονύσιον inscriptus: (Laert. ibid. 84): sed priorem significari a Lucilio ideo ueri similius est, quod Panaetius Lucilio sine dubio notus Sotionem secutus illum librum ex indice Aristippeorum scriptorum eiecit, hunc agnouit (Laert. l. l. 85). Ita uerba *quidam . . . autumant* melius intelleguntur, ut quibus de re am-

---

[1]) Ἀποστέλλειν est προσφωνεῖν· uno hoc loco inueni uerbum illud ea significatione positum qua solet Latine 'mittere'.

bigua et incerta agatur. Magnam doctrinam Lucilii multis locis licet mirari; tamen etiam amorem Xenocratis, qui *tristis ac seuerus philosophus* dicatur XXVIII u. 684 L 12 M erga Polemonem discipulum tangi u. 685 L 13 M, cum unus haec tradat Aristippus apud Laert. IV 19: Ὡς ἐῴκει δὴ ὁ Πολέμων κατὰ πάντα ἐζηλώκει τὸν Ξενοκράτην· καὶ ἐρασθῆναι αὐτοῦ φησιν Ἀρίστιππος ἐν τετάρτῳ περὶ παλαιᾶς τρυφῆς — non sumpserim cum editoribus fere omnibus[1]), quia codices quod habent:

Polemon et amauit, morte (corr. Lachm. codd. mortem)
huic transmisit suam
scholen quam dicunt

recte se habet me iudice. Scripserunt enim editores *Polemonem amauit* scilicet Xenocrates, sumentes quod ne Aristippus quidem tradidisse uidetur, neque ut erat 'tristis ac seuerus philosophus[2]), rebus uenereis infestissimus (Laert. l. l. 7) ulla ratione probari potest. Itaque agitur his uu. de Cratete Academico[3]) successore Polemonis, qui auctore Antigono Carystio (Laert. l. l. 22) eum amauit, atque praecessisse uidentur hoc fragmentum fere haec: *docuit Cratem* Polemon et amauit e. q. s. Conf. Laert. l. l. 21 Κράτης πατρὸς μὲν ἦν Ἀντιγένους, Θριάσιος δὲ τὸν δῆμον καὶ ἀκροατὴς ἅμα καὶ ἐρώμενος Πολέμωνος. Ἀλλὰ καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν αὐτοῦ. Cratetis Cynici meminit Lucilius libro XXVII u. 652 L 22 M quem Lachmann emendauit: (codd. enim an pereiciam . . . amare)

ego animam proiciam
ut me amore expediam?

Est enim Cratetis dictum saepissime laudatum ab antiquis scriptoribus et prouerbii loco usurpatum:

---

[1]) Sic etiam Wilamowitz de Antigono Carystio (Philol. Unters. IV) p. 49.

[2]) Uidentur haec uerba, quanquam ad multos possunt pertinere, de Xenocrate esse dicta: conf. Laert. l. l. 6: Σεμνὸς δὲ τά τε ἄλλα Ξενοκράτης καὶ σκυθρωπὸς ἀεὶ κτλ. Locos istos quos attuli etsi non laudauit tamen respexisse uidetur L. ad Lucr. p. 170.

[3]) Cuius nomen ut ex Gerlachii editione iam uideo, duo uiri docti huic u. infeliciter conati sunt intrudere. Pro *mortem* Francken l. l. proposuit *artem*.

ἔρωτα παύει λιμός, εἰ δὲ μή, χρόνος·
ἐὰν δὲ μηδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβέσῃ,
θεράπειά σοι τὸ λοιπὸν ἠρτήσθω βρόχος.

Seruatum est hoc fragmentum (17 Bergk) in A. P. IX 497 Laert. VI 86, apud Suidam s. u. Κράτης, paroemiographos alias: conf. Bergkium poet. lyr. ad h. l. Lucilius illis uerbis philosophi sententiam deridet.

Libri XXVIII u. 673 L 19 M manuscripti libri:

Lucili si in amore inritarit suo

L. corr. *Lucilium si* amore, Dousa *Lucilius si* amore, parum probabiliter neque in tradita non uiolenter consulentes: neque enim quo modo aliquis amore uel in amore irritetur, potest cogitari. Littera una mutata recte dicuntur haec

Lucili, si me more inritarit suo

Inritaris tuo cum Muellero non ausim scribere, si quidem *Lucili* genetiuus bene esse potest.

Libro XXVIII u. 702 L 24 M

uitam ac fortunas cui concrediderim meas.

Sententiam suppleo ex Menandri uersibus (4, 240 Mein.), sicut artis antiquae periti sculpturae deletae fragmenta recognoscunt similibus exemplaribas minus quae corrupta sunt collatis: sunt uero hi:

οὐκ ἐκ πότων καὶ τῆς καθ' ἡμέραν τρυφῆς
ζητοῦμεν, ᾧ πιστεύσομεν τὰ τοῦ βίου,
πάτερ, οὗ περιττὸν οἴετ' ἐξευρηκέναι
ἀγαθὸν ἕκαστος, ἂν ἔχῃ φίλου σκίαν.

Agitur igitur in u. illo Lucilii de amicorum comparatione.

Libri XXIX u. 745 L 24 M codices omnes (Non. s. u. *coniungere* p. 36)

quam mihi quantum est inter humanum genus
rerumque inter se coniungat communicat

cum tradant corruptissima, grauiore medicina ad uitia inueterata curanda opus esse apparet. *Coniungat* recte codices.

Editores et lemma Nonii et hoc uocabulum mutantes posuere *coniugat* sine causa sufficiente. Inde efficitur *communicat* corrigendum esse et uocabulum *rerum* secutus recte inuenit Lachmann *communitas*. Iam flagitatur ad uerba *inter se coniungat* et accusatiuus pluralis et enuntiatum principale unde coniunctiuus pendeat: quod utrumque facilius assequi non possum quam ita scribendo

amicos quanta est inter humanum genus
rerum quae inter se coniungat communitas

Amicos iungere est facere amicos (Hor. sat. I 3, 54), quod maxime morum similitudine (Cic. Lael. 50 de off. I 58 Plut. de frat. am. cap. 20 de adulat. et am. cap. 6 et passim) fieri uetus est. Inprimis conferendus Cic. de off. I 51: 'Ac latissime quidem patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes societas haec est: in qua omnium rerum, quas ad communem hominum usum natura genuit, est seruanda communitas' e. q. s. Porro (53—56) multa inter homines communia, quibus inter se consocientur enumerat: 56 de communitate ea, quae amicos coniungat agitur.

Libri XXIX u. 755 L 84 M codices:

tyroneo et non mortifero adfectus uomica et uulnera

Recte emendauerunt editores *uomicae uulnere*, cum antecedant uerba *mortifero adfectus*. Uomicam quidem non uulnus esse sed ulcus, nemo nescit: ergo intellegendum esse puto uulnus, quo uomica aut secta a medico (Cels. V 28, 1 'Tum deinde uulnus sicut cetera adusta curandum est', sc. uulnus ulceris) aut casu quodam percussa sit. Hoc ueri similius illo esse uerbis *non mortifero* euincitur atque agi de homine, cui aliquis plagam mortalem inferre dum conatur uomicam aperuerit. *Et* particula docemur in litteris *tyroneo* latere uerbum *salutifero* uel tale quid significans: bene editores Dousam secuti

Chironeo et non mortifero adfectus uomicae uulnere.

Sed nihil ad rem, quod medici (Cels. V, 28, 5) de Chironeo *ulcere*[1]) proferunt: neque Χειρώνειον ἕλκος apud Zenob.

[1]) Aliud enim est ulcus, aliud uulnus. Χειρώνειον ἕλκος autem

prou. VI 46, quod ipsum mortiferum uulnus significare exponit scriptor neque quae Eustath. p. 45, 42 ὅσα δυσαλθῆ ὄντα δέοιτ' ἂν ἰατροῦ τοῦ Χείρωνος appellat uulnera ad hunc u. pertinent: etenim uerbis *et non mortifero* haec omnia refelluntur[1]). Recte si Dousa emendauit *Chironeo* uocabulum significet necesse est *medicante* uel *liberante a morbo*[2]) oppositum uerbis *et non mortifero*: traxere medicamina multa nomen a Chirone, uelut planta salutifera panaces dicta alia. (Plin. XXV 32). Agitur enim hoc u. de Iasone Pheraeo, cui aliquis mortiferum uulnus inferre meditatus uomicam gladio perruptam curauisse dicitur: conf. Plut. de inimic. utilit. cap. 6 Ὥσπερ γὰρ ὁ τὸν Θεσσαλὸν Προμηθέα κτεῖναι διανοηθεὶς ἔπαισε τῷ ξίφει τὸ φῦμα καὶ διεῖλεν οὕτως ὥστε σωθῆναι τὸν ἄνθρωπον καὶ ἀπαλλαγῆναι τοῦ φύματος ῥαγέντος κτλ. Plin. VII 166 'Pheraeus Iason deploratus a medicis *uomicae morbo* cum mortem in acie quaereret uulnerato pectore medicinam *inuenit* ex hoste'. Ad eandem rem pertinere puto libri eiusdem u. 741 L 98 M: [Tyrannus multa conatus tandem]

hoc inuenisse (sic L: codd. inuenisset) unum ad morbum illi homini uel bellissimum

perhibetur. Cic. de nat. deor. III 70: 'Nec . . uoluit . . prodesse Pheraeo Iasoni is, qui gladio uomicam eius aperuit, quam sanare medici non potuerant'. Ual Max. I 8 ext. 6: 'Diuinae fortunae uulnus Pheraeo Iasoni quidam exitii eius cupidus intulit. Nam cum inter insidias gladio eum percus-

---

ulcus est ubique apud scriptores: Poll. IV 196 Χειρώνιον ἕλκος χρόνιον, δυσούλωτον, χείλη σκληρά, τυλώδης σάρξ, ὑποπέλιδνος, ἐν κνήμαις καὶ ποσίν. Zenob. VI 46. Suid. s. u. Apul. de herb. 23. Cels. l. l. Eustath. p. 463, 34.

[1]) Zenob. l. l. τὸ ἀπὸ πολλῆς στάσεως ἐν τοῖς ποσὶ γινόμενον τραῦμα καὶ διηνεκῶς ἰχῶρας ἐκκρῖνον. Τοξευθεὶς γὰρ ὑπὸ Ἡρακλέους ὁ Χείρων μάχην πρὸς Κενταύρους ἐνστησαμένου ἀνίατον ἔσχεν ἕλκος περὶ τὸν πόδα δι' οὗ καὶ ἀπέθανε. Ὅθεν ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν ἀνιάτων προήχθη τραυμάτων. Galen. XIII p. 676.

[2]) Uelut Clem. Alex. paedag. I 8, 74 dicit τρῶσαι οὐ θανασίμως ἀλλὰ σωτηρίως.

sisset, uomicam, quae a nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, ut hominem pestifero malo liberaret'.

Libri XXX fragmenta nonnulla eadem ratione qua antea in libro XXVI uersatus sum emendare interpretari copulare conabor: singula recte ut intellegamus inprimis adhibenda est Horatii sat. I 4 et II 1 neque quemquam qui libri XXX reliquias attente perlegerit puto fugisse Lucilium sicut libro XXVI rationem satiricae poesis exponere collaudare defendere. Atque primum audiamus Lucilii quem sibi fecit aduersarium u. 893 L 110 M:

hic ut muscipulae tentae atque ut scorpio' cauda
sublata

Quae uerba refero ad Lucilium ipsum ut hominem periculosum et insidiosum: bene explicantur Hor. sat. II 1, 44:

At ille
qui me commorit — melius non tangere! clamo —
flebit et insignis tota cantabitur urbe.

Idem sat. I 4, 34

'Faenum habet in cornu, longe fuge: dummodo risum
excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico
et quodcunque semel chartis illeuerit, omnes
gestiet a furno redeuntes scire lacuque
et pueros et anus'. — Agedum, pauca accipe contra.

De tralatione conf. [Demosth.] Aristog. A 52 'Αλλ' οὐχ οὗτος οὐδὲν . . . ἀλλὰ πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς ὥσπερ ἔχις ἢ σκορπίος ἠρκὼς τὸ κέντρον, ᾄττων δεῦρο κἀκεῖσε, σκοπῶν τίνι συμφορὰν ἢ βλασφημίαν ἢ κακόν τι προστριψάμενος καὶ καταστήσας εἰς φόβον ἀργύριον εἰσπράξεται. Poll. VI 125 A. P. XI 227[1]). — Respondet huic poeta uu. 877. 878 L 14. 15 M Horatii u. 38 l. l. similibus

summatim tamen experiar rescribere, paucis
his te uersibus interea contentu' teneto.

---

[1]) Lucilium aliquem tropum Graecorum adhibere comprobatur Graeca forma *scorpios*.

Secutam deinde esse puto comparationem naturae poesis Lucilianae cum comoedia, ut apud Hor. l. l. uu. 45 sqq. et 1 sqq. Unum u. ex hac parte libri XXX relictum puto hunc 889 L 16 M, ubi codd. 'sicutite qui ea quae speciem uitae putamus esse' quae sic correxerim (L. sicut te)

sicut ei, qui ea, quae speciem uitae esse putamus.

Ei pro iambo positum inuenitur apud Terentium et Ouidium (Mueller d. r. m. p. 272. 255. Lachm. ad Lucr. p. 152), quod tam raro apud dactylicos mirum non est, qui omnino fugerint uocis istius formas omnes. Ea, quae *speciem uitae* putari Lucilius dicit sine dubio sunt res ad exemplar uitae formatae (Hor. a. p. 317), ut Horat ep. I 18, 2. 95 II 2, 124 dicit scurrantis, obscuri, ludentis speciem: nempe comoediam Lucilius ita significat. Conf. Cic. de rep. IV 11, 13 Orelli 'Comoediam esse Cicero ait *imitationem uitae*, speculum consuetudinis, imaginem ueritatis'. Prolegg. de comoed. in Bergkii Aristoph. IX Κωμῳδία ἐστὶν ἡ ἐν μέσῳ λαοῦ κατηγορία . . . ἔστι δὲ εἶδος ποιήματος ἐν κώμαις κατὰ τὸν βίον ᾀδόμενον. Διὰ τοῦτο καὶ 'βιωτικῶς' λέγεται, τουτέστιν ἱλαρῶς . . . ἢ 'βιωτικῶς' κατὰ μίμησιν τοῦ βίου, κτλ. Ibidem VIII 12 ἔστι δὲ ἡ κωμῳδία μίμησις πράξεως καθαρωτέρας παθημάτων συστατικὴ τοῦ βίου (conf. IV 6), διὰ γέλωτος καὶ ἡδονῆς τυπουμένη. Διαφέρει δὲ τραγῳδία κωμῳδίας ὅτι ἡ μὲν τραγῳδία . . . ἡ δὲ κωμῳδία πλάσματα περιέχει βιωτικῶν πραγμάτων[1]). Diomed. I p. 488: Κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή. — Ad *ea* in u. Lucilii supplenda esse puto *poemata*.

Tum denuo adversarius — uu. 963. 913 L 29. 34 M — poetam culpat:

. . . atque tuis saeuis factis et tristibu' dictis
gaudes, cum de me ista foris sermonibu' differs

---

[1]) Idem ibid. IX 1. — Conf. Donat. de com. et trag. (Terent. ed. Westerhovius I p. LVII): 'Comoedia uero quia *poema sub imitatione uitae atque morum similitudine* compositum est, in gestu et pronuntiatione consistit . . . Comoediam . . primo Liuius Andronicus repperit: aitque comoediam esse *cottidianae uitae speculum*'. Euanthius de tragoedia et comoedia ibidem p. LI: 'Tum quod in tragoedia fugienda *uita*; in comoedia capessenda exprimitur'.

quae sic interpretanda esse iudico Horatium secutus ducem, apud quem aduersarius l. l. u. 78:

laedere gaudes,

inquit, et hoc studio prauus facis.

In u. priore *atque* scripsi: codd. *itque itaque aquae idque. Tristia* dicta, ut Trebatius Hor. sat. II 1, 21 *tristi laedere uersu* proprium Horatianae poesis dicit. Quorum uu. posteriorem si modo recte explicui, testimonium nacti sumus de Lucilii poesi nouum et graue. Differre crimina et uitia hominum dicitur Lucilius sermonibus[1]) suis hoc u. (conf. Liu. XXXIV 49, 5: 'Acrocorinthum ipsis extemplo uidentibus uacuam Achaeis traditurum, ut omnes scirent, utrum Romanis an Aetolis mentiri mos esset, qui male commissam libertatem populo Romano sermonibus distulerint . . .'): etenim *sermonibus* ad Lucilium sine dubio referendum est. Itaque saturas non Horatius sermones appellauit primus, sed suas et Lucilii (sat. I 4, 42 ep. I 4, 1) ita appellauit secutus Lucilium. Quod etiam magis apparet u. 914 L 35 M, qui aduersarii est:

et male dicendo in multis sermonibu' differs

h. e. proscindis conuiciis (conf. Nonium p. 284, quem recte explicare iudico[2])) in multis sermonibus homines, in sermonibus Lucilii, in poematis scilicet. Contra hunc Lucilius u. 973 L 32 M quem sic dispono:

Haec tu me insimulas? Nonne ante in corde uolutas . . . sicut Horatius uersibus illos quos supra contuli (sat. I 4, 79) arte sequentibus interrogat: 'Unde petitum Hoc in me iacis'? e. q. s.

Atque deinde uerbis *et male dicendo . . . differs* respon-

[1]) Diuulgare sermonibus Cic. p. Fontei. 20.

[2]) Non. l. l. Differre, diuidere uel scindere . . . Terentius in Adelfis: miseram me, differor doloribus. Uirgilius lib. VII: aut procul inde citae Mettum in diversa quadrigae Distulerant. Lucilius lib. XXX: et maledicendo in multis sermonibus differs. Plautus in Aulularia: Nisi reddi mihi uasa iubes pipulo te differam ante aedis'. — Recte explicuit idem paullo ante: 'Differre . . . diffamare, diuulgare. Lucilius lib. XXX: gaudes cum de me ista foris sermonibus differs'.

det sic fere, ut Horatii uerbis utar (l. l. u. 65): at bene si uiuis et puris manibus

nolito tibi me male dicere posse putare (u. 979 L 130 M)

Sed rursum Lucilius poesis satiricae alium fingit inimicnm de quo uu. 890. 962. 961. 875 L 98. 25. 24. 33 M.

Hic in stercore humi, fabulis, fimo atque sucerdis:
'Quid tu istuc curas, ubi ego oblinar atque uoluter? . .
Quid seruas quo eam, quid agam? quid id attinet ad te?
Quod tu si laudes, culpes, non proficis hilum'.

Occurrit postremo alius obtrectator, qui Lucilium his uerbis adloquatur: uu. 876. 911 L 30. 12 M:

Nunc, Gai, quoniam incilans nos laedi', uicissim
si liceat facere et iam hoc uersibu' reddere quod do . . .

Omnes qui priorem u. tetigerunt (conf. M. ad h. u.) maluerunt cogitare de C. Caelio iudice de C. Minucio magistro equitum de aliis, quam, quo praenomen aptius positum uideatur, Lucilium ipsum agnoscere. (Conf. Corpet. ad h. l.) Ita in Uarronis Menippeis nonnunquam deprehendimus *Marce* uocatiuum (60. 175. 505 B.), uelut in Bimarco: 'Ebrius es Marce, Odyssian enim Homeri ruminari incipis, cum περὶ τρόπων scripturum te Seio receperis'. Horatius item nonnullos sese fingit adloquentes *Quinte* sat. II 6, 37. — Ceterum uicissim facere ἀντιποιεῖν esse puto ac dicere aduersarium, sese nisi infra suam dignitatem esset, responsurum Lucilio uersibus uicissim . . . Dein aliter ac Muellero uidetur interpretor u. 970 L 127 M:

et Musconi' manum perscribere posse tagacem

quae uerba aduersarii esse arbitror dicentis nihili esse neque admiratione ulla dignum satiricum homines furaces similia posse describere (Hor. sat. I 4, 3). Conf. Hor. sat. II 1, 21, ubi Trebatius saturae obtrectans:

Quanto rectius haec quam tristi laedere uersu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem'.

Alia L. ad hunc locum.

Tractaturus iam sum alia fragmenta quattuor, quae nondum recte intellecta sint: sunt uero haec:

I. u. 912 L 114 M

non datur. admittit nemo, nec uiuere ducunt . . .

II. u. 925 L 8 M

quantas quoque modo aerumnas quantosque labores exanclaris

III. u. 956 L 36 M

– ⏑ uti pecudem te, asinumque ut denique nasci praestiterit

IV. u. 902 L XXIX 87 M

et circum uolitant † ficedulae turdi

† curatiscoci (sic L 1 et ceteri codd. curatissoci G)

Recte si quattuor haec fragmenta erimus interpretati denuo apparebit quanto studio Lucilius priscam et nouam Graecorum comoediam perscrutatus sit cui saturas suas adplicaret. Egit quidem poeta in ea parte libri XXX cuius sunt ista fragmina, de miseriis et malis generis humani ac, nisi falso interpretor frg. I sicut Hor. sat. I 1, 15 sqq. mimum fingit Lucilius. Narrat fragmento IV [1]) nescio quis de uita beata quam apud inferos degant homines, quam Lucilius depinxit Pherecratem antiquae Graecorum comoediae poetam secutus. Is enim in comoedia quae Μεταλλῆς inscribitur (Mein. com. Gr. 2, 299) de mortuorum in Orco uita beata multa festiue finxit Orcumque fecit terram ut Petronii uerbis utar ubi porci cocti ambulant. Ita illud fragmentum esse intellegendum apparet: neque enim usquam turdi curati circumuolitant nisi in fabulis. Emendes necesse est:

et circumuolitant ficedulae ⏑ ⏓ ⏑ ⏑ turdi

curati os

Lacunam post *ficedulae* recte mea sententia statuit Munro Iourn. of Philol. VII p. 312; quae inseruit uerba *et undique* nihil ad rem. Iam quo clarius quo iure ita emendauerim appareat, Pherecratis uersuum, qui apud Athen. VI p. 268 E

[1]) L. curati *scite* uel *sucis* et *ficedula* proposuit, M. trochaeos fingit scribens *ficellae . . . curati cocis* conuiuiumque describi putat: de turdis ex apro euolantibus qui sunt apud Petron. 40 uideo Duentzerum cogitasse in tralatione Lucilii libro 'Die römischen Satiriker' inscripto p. 38, qui item trochaeos restituit. — Ceterum cum Munroo non facerem, si ficedul*um* uocabulum usurpatum inuenire possem. In litteris reliquis *sci* quid lateat, non potui indagare: possunt multa addi, uelut *ibi*, *his*, alia.

seruati sunt, partem ponam. Narrat aliqua uates uel anima mortui cuiusdam (u. 20) ex Tartaro rediens:

Πλούτῳ δ' ἐκεῖν' ἦν πάντα συμπεφυρμένα
ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς πάντα τρόπον εἰργασμένα.
ποταμοὶ μὲν ἀθάρης καὶ μέλανος ζωμοῦ πλέῳ
διὰ τῶν στενωπῶν πομφολυγοῦντες ἔρρεον
5 αὐταῖσι μυστίλαισι, καὶ ναστῶν τρύφη.
ὥστ' εὐμαρῆ γε καὐτομάτως τὴν ἔνθεσιν
χωρεῖν λιπαρὰν κατὰ τοῦ λάρυγγος τοῖς νεκροῖς . . .
20 Β. Οἴμ' ὡς ἀπολεῖς μ' ἐνταῦθα διατρίβους' ἔτι
παρὸν κολυμβᾶν ὡς ἔχετ' εἰς τὸν Τάρταρον.
Α. Τί δῆτα λέξεις, τἀπίλοιπ' ἤνπερ πύθῃ;
ὀπταὶ κίχλαι γὰρ εἰς ἀνάβραστ'[1] ἠρτυμέναι
περὶ τὸ στόμ' ἐπέτοντ' ἀντιβολοῦσαι καταπιεῖν
25 ὑπὸ μυῤῥίναισι κἀνεμώναις κεχυμέναι e. q. s.

Uides ut ἠρτυμέναι uox respondeat *curati* Lucilianae, quam Nonius recte *cum delectu apparatum* uerbis explicat. Conferendi praeterea Pherecratis eiusdem in Persis uu. (Mein. 2, 315):

τὰ δὲ δὴ δένδρη τἀν τοῖς ὄρεσιν χορδαῖς ὀπταῖς ἐριφείοις
φυλλοροήσει, καὶ τευθιδίοις ἁπαλοῖς κίχλαις τ' ἀναβ-
ράστοις.

Et Teleclides Amphictyonibus (Mein. 2, 361):

ὀπταὶ δὲ κίχλαι μετ' ἀμητίσκων εἰς τὸν φάρυγ' εἰσε-
πέτοντο.

Hominibus mortuis tam festiue uiuentibus deum aliquem puto fingi proponentem, ut in uitam humanam sinant se restitui diuinitus: at omnes recusant (frg. I):

non datur. admittit nemo, nec uiuere ducunt

nauci: tale quid suppleuerim. Dicit enim de mortuis unus sese malle pecudem uel asinum nasci, quam hominem, si quantos omnibus modis labores quantasque aerumnas pertulerit homo consideret (frg. II et III). Non hariolari me concedes, si demonstrauero tangi a poeta Menandri fabulam Θεοφορου-

[1]) Uersum ita constituit Meinekius coniectura non palmari quidem, ut mihi uidetur, at qualis sit nihil interest Lucilii. Codex optimus: ὀπταὶ καὶ κίχλαι γὰρ εἰς ἀναβράσεις . ἀναβράσεις . ἀνάβραστ', quae foede interpolata esse patet.

μένην (Mein. 4, 134), cuius exstant apud Stob. floril. 106, 8 hi uu.:

Εἴ τις προσελθών μοι θεῶν λέγοι: 'Κράτων
ἐπὰν ἀποθάνῃς, αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσει·
ἔσει δ' ὅτι ἂν βούλῃ, κύων, πρόβατον, τράγος,
ἄνθρωπος, ἵππος· δὶς βιῶναι γάρ σε δεῖ·
5 εἱμαρμένον τοῦτ' ἐστίν, ὅτι βούλει δ', ἑλοῦ'·
ἅπαντα μᾶλλον, εὐθὺς εἰπεῖν ἂν δοκῶ,
ποίει με, πλὴν ἄνθρωπον· ἀδίκως εὐτυχεῖ
κακῶς τε πράττει τοῦτο τὸ ζῷον μόνον . . .

Clamat porro senex quanto meliore condicione utatur in uita equus canis gallus bonus quam homo bonus: dein pergit:

16 πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερα
ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτα λέγει.
ὄνον γενέσθαι κρεῖττον ἢ τοὺς χείρονας
ὁρᾶν ἑαυτοῦ ζῶντας ἐπιφανέστερον.

Hosce uu. obuersatos esse Lucilio uerba illa scribenti nemo negabit: locus enim totus insignis est multumque laudatus (conf. Mein. ad hh. uu.) Operae pretium uidetur afferre Plut. quaest. conuiu. IX 5, 1: αὐτῷ δὲ παρίστασθαι πολλάκις καὶ τὰ τοῦ κωμικοῦ γέροντος: ὄνον γενέσθαι κρεῖττον κτλ. . . . Καὶ ὁ Σῶσπις γελάσας: 'Αλλὰ ἕως μέλλομεν ἐνδύεσθαι τὸ κανθήλιον κτλ.[1]) Fragmentum denique primum ut intellegas quo modo intellectum uoluerim, conf. Hor. sat. I 1, 15

Si quis deus 'en ego', dicat,
iam faciam, quod uultis: eris tu, qui modo miles,
mercator; tu consultus modo, rusticus: hinc uos,
uos hinc mutatis discedite partibus. Eia!
quid statis? — Nolint. Atqui licet esse beatis.

---

[1]) Conf. praeterea Menander idem (4, 230 Mein.):

"Απαντα τὰ ζῷ' ἔστι μακαριώτερα
καὶ νοῦν ἔχοντα μᾶλλον ἀνθρώπου πόλυ.
τὸν ὄνον ὁρᾶν ἔξεστι πρῶτον τουτονί.
οὗτος κακοδαίμων ἐστὶν ὁμολογουμένως κτλ.

et Philem. 4, 36 Mein.

'Ω τρισμακάρια πάντα καὶ τρισόλβια,
τὰ θηρί', οἷς οὐκ ἔστι περὶ τούτων λόγος κτλ.

Libri eiusdem u. 870 L 105 M multifariam atque a multis tractatus in codicibus talis est:

plauda una est pedibus cariosis mensulibano (mensuiabino Harl.)

Correxit Scaliger *plauta*, quod uocabulum nescio quam recte usurpetur in rebus inanimis: itaque melius L. *clauda*. Exitum uersus multis modis sanare studuerunt uiri docti: *mensa Sabino* Francken *mensa Liboni* Scaliger, *mensa Libussa* Ribbeck; Muelleri coniectura nimium a traditis abest. Litteram uersus extremam periisse arbitror: ceterae litterae in ordinem restituendae sunt ut descriptioni cenae pauperculae quae fit uu. 895 L 40 M 866 L 41 M addatur uersus sic correctus:

lectus] *unus* consterni *nobis* uetu' restibus aptus.
culcitulae accedunt priuae centonibu' binis.
clauda *una* est pedibus cariosis *mensula nobis*[1]).

Mensula uino uideo iam Turnebum coniecisse. Quorum uu. primum et extremum si inter se contuleris coniecturas multas de primo prolatas ut falsas redargues (*uellus consternit* Ribbeck *clinas* M. alias alii).

Libri eiusdem u. 944 L 119 M codices

quid quaerimus acre
inductum cantu † stodidum (*stotidum custoditum* alii)

Stolidum recte Rothius: *hac re* in u. priore scripsit Iunius, *Argon* Mueller. Scribendum puto:

Quid quaerimus acri
inductum cantu stolidum . . .

Acer idem ualet quod λιγύς λιγυρός Graecum: sic Hor. carm. I 12, 1 *acri tibia*, Accius apud Non. p. 213 *acre* (sic recte Bothe, codd. *acri*) crepantes *melos*. Agitur his uu. aut de Sirenibus earumue similibus homines cantu acuto fallentibus: conf. Hom. μ 39—44:

---

[1]) Ad *nobis* conf. etiam Philoxeni δεῖπνον frg. 2 Bergk.: Εἰς δ' ἔφερον διπλόοι παῖδες λιπαρῶπα τράπεζαν Ἄμμ', ἕτεροι δ' ἑτέραν, ἄλλοι δ' ἑτέραν, μέχρι οὗ πλήρωσαν οἶκον. *Mensula*, ut Hom. υ 259 δίφρον ἀεικέλιον καταθεὶς ὀλίγην τε τράπεζαν. Arist. poet. cap. 22.

Σειρῆνας μὲν πρῶτον ἀφίξεαι, αἵ ῥά τε πάντας
ἀνθρώπους θέλγουσιν ὅτις σφέας εἰσαφίκηται.
ὅστις ἀϊδρείῃ πελάσῃ καὶ φθόγγον ἀκούσῃ
Σειρήνων, τῷ δ' οὔτι γυνὴ καὶ νήπια τέκνα
οἴκαδε νοστήσαντι παρίσταται οὐδὲ γάνυνται,
ἀλλά τε Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ . .

Libri eiusdem uu. 967. 968 L 62. 63 M in codicibus:
tune iugo iungas me ante et succedere aratro
inuitum et glebas subigas proscindere ferro?

Sunt sine dubio uerba Thessalae equae (conf. uu. antecedentes) grauiter domitorem ferentis, in quibus recte apud Muellerum positum est *inuitam* (conf. Enn. trag. 219 V), non recte *apte* editum ab eodem pro *ante*, quod ualde languet sicut istud *ante* a Lachmanno seruatum. Scribendum puto:

tune iugo iungas me? anne et succedere aratro
inuitam et glaebas subigas proscindere ferro?

Fit gradatio: primum equa iugum et frena recusat, dein rogat, num non modo dometur frenis, sed etiam arare cogatur, quod opus apud ueteres a tauris, nunquam ab equis factum esse cum aliunde notum est, tum patet e prouerbio 'optat ephippia bos piger, optat arare caballus'. — *Anne* usurpatur saepe in talibus interrogationibus: conf. Catull. 66, 15 Ter. Andr. V 2, 10 'Anne est intus Pamphilus'?

Libri III M u. 39 qui u. cuius libri sit nescimus
ore salem expirauit amarum

a nullo editore uideo explicatum nisi a Dousa, qui collato Plaut. Stich. I 2, 35 tralationem fieri sumit: quem non sequere si comparaueris Hom. ε 322:

στοματὸς δ' ἐξέπτυσεν ἅλμην
πικρήν . . .

Lucilii uerba accurate ad Homeri exemplar expressa esse nemo negabit, neque quidquam amplius addendum nisi qui

exspirauit uocem (codd. expiauit corr. Columna) raro sic usurpatam illustret uersus Lucretii II 354

sanguinis expirans calidum de pectore flumen.

Inc. u. 1181 l L 43 M debetur Dousae sic constitutus:

lactentia Coa

clam cum melle bibi

Caper VII p. 98 Keil) haec tradit: (M cod. Montepess. BC codd. Bernenses ς editt. ueteres)

M lacteus qui lacte alitur et lactans qui decipit lactens lacte abundans ut lactentes ficus Lucilius lactentia coagula cum melle bibi

ς lacteus qui lacte alitur lactans qui decipit lactans qui lacte abundat ut lactantis ficus Lucilius lactantia coacla cum melle bibi

C lactens est qui lacte alitur lactans qui decipit lacteus lacte habundans uelut lactentes ficos Lucilius dic̄ lactentia coagula cum melle

B lactens est qui lacte alitur lactans qui decipit lacteus lacte habundans uelut lactenteas ficus Lucilius dicit Lactentia coagula cum melle

Ex hoc ordine apparet duplici nos uti traditione: alteram exhibet M unde editio uetus minus diligenter deducta, alteram C unde B aperte pendet, qui illius correcturas falsas temere descripserit. Archetypus haec praebuerat mea sententia:

lactens est qui lacte alitur lactans qui decipit lactens lacte abundans uelut lactentes ficos Lucilius dicit, lactentia coagula cum melle bibi . . .

Alia Keil l. l. molitur [1]).

Patet *coacla* et *lactans qui lacte abundat* aut corrupta aut

---

[1]) Keil uerba *lactentes ficus* comparat cum Ennii uersu '*fici* dulciferae *lactantes* ubere toto' ap. Charis. I p. 128, 31 (annal. u. 71 V.): sed *lactantes* ibi legitur, hic aperte *lactentes*, neque enim editionum lectionem ullius pretii esse hoc loco puto. Apud Ouid. fast. II 263 'dum lactens haerebit in arbore ficus' in uerbo *lactens* codices fluctuant.

Possunt quidem ficus dici et *lactentes* et *lactantes*: sed illud non uidetur nisi ad lac ficubus proprium (Macrob. III 20, 5) pertinere, hoc simul ficus cum uberibus lactantis feminae (Lucr. V 885) comparantur ut in Ennii illo uersu.

interpolata esse. Egregie enim dicitur *lactentia coagula cum melle bibi:* nam lactentia significat lacte diluta: conf. Ouid. fast. IV 545

Mox epulas ponunt: liquefacta coagula lacte
Pomaque et in ceris aurea mella suis.

Liquefacta coagula lacte dicuntur, qui in duos congios lactis additur coagulum magnitudine oleae. (Uarr. d. r. r. II 11, 4). Lac coactum cum melle bibi in epulis uidemus praeterea e Philoxeni δείπνῳ frg. 2 u. 36 Bergk: ὁμοσύζυγα δὲ ξανθόν τ' ἐπεισῆλθεν μέλι καὶ γάλα σύμπακτον atque lactaria melle solere condiri ex Alciphr. frg. 6, 10: εἶτα γαλάκτια ποικίλα, τὰ μὲν μελίπηκτα κτλ. Itaque rectissime *lactentia coagula cum melle bibi* apud Caprum. Quae tamen uerba in metrum redigi nullo modo possunt, neque in dactylicum neque in iambicum, neque Lucilii uerba soluta in pedestrem orationem grammaticum rettulisse probabile est: porro *coagula* uerbum non uideo usurpatum ante Uarronem. At uerba '*lactentes ficos*' unde M *lactentes ficus*, C qui pro *lactens* altero loco posuit *lacteus* quod scriptum recte erat *lactentes ficos* uoluit corrigere in *lacteas ficus* superscripto a et u, unde B *lactenteas ficus* — ista uerba dico egregie Lucilio tribui: nam quadrant in hexametrum et *fici* pro *ficus* forma Luciliana est qua ter utitur[1]). Statuo igitur in cod. M uerbum unum auctorem significans excidisse: in codd. CB reuera uerba sub finem mutilata sunt, deest enim *bibi*.

Inc. 1109 L 106 M:

uasa quoque omnino dirimit, non sollo, dupundi.

Uasa Augustinus, *Lucilius suasa* Festi cod. Corpet haec uerba recte ad Scipionis in castris apud Numantiam edicta rettulit primus p. 235 edit: Bouterwek de Lucilio satirico p. 6 laudat Appian. Ib. 85. L. Mueller uersum in duas partes discidit. Pertinet uersus ad ea quae accuratius Appiano Plutarchus apophth. Scip. min. 16 refert: σκεύη δὲ προσέταξεν ἀποπέμπειν ἅπαντα

---

[1]) Uu. 168. 1128. 1129 L V 27. 28. 30 M.

πλὴν χύτρας ὀβελίσκου καὶ ποτηρίου κεραμεοῦ· τῶν δὲ ἀργυρέων ἔκπωμα οὐ μεῖζον δύο λιτρῶν συνεχώρησε τοῖς βουλομένοις ἔχειν κτλ. Itaque uersum sic intellego: praetor, inquit, a mensis argentum omne secernit: uasa quoque argentea omnino dirimit. Dein sese corrigit: non sollo, hoc est, non omnia sed dupundi et quae amplius pendent: Festus igitur uersum integrum laudat sententia mutilata. *Dirimit*, semouet a mensis, ut colorem a ueste dirimit mare (Lucr. VI 1075).

II. DE ARGVMENTO LIBRI I.

Tractauit Lucilii librum I Bouterwek in Mus. Rhen. XXI p. 339, quem de eodem disputaturus equidem sequi non possum.

Uu. 11 L 9 M sqq. seruatis ap. Lact. instit. IV 3, 12, ubi de *pater* nomine dis omnibus imposito agitur, particulam contineri orationis in deorum concilio habitae planum est, incertum tamen, quemnam talibus uerbis apud immortales poeta induxerit contionantem:

ut
nemo sit nostrum, quin aut pater optimu' diuum
aut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Ianu' Quirinu' *pater siet ac dicatur* ad unum.

Haec uerba qui loquitur, agit, ut apparet, de cognominibus, quae dis solent indere homines: itaque cum hoc fragmento artius quam adhuc factum est coniungi oportet ea, quae apud Seru. ad Aen. III 119 leguntur (u. 15 L XII M)

quidam pulcher epitheton Apollini datum reprehendunt; pulchros enim a ueteribus exoletos dictos. Nam et apud Lucilium Apollo *pulcher dici* non uult.

Quoniam autem multo uerisimilius est unum ex dis in transitu de hac re agere quam plures — nihil enim hoc ad interitum Lupi, quibus maxime cognominibus di praedicentur — illos quoque uersus tres eidem tribuere licebit Apollini, eo magis quod ipsius nomen in illis non inuenitur. Neque uero recte mea quidem sententia dicit Lactantius unumquemque a precantibus patrem inuocari deorum, etiamsi Seruius bis [1]) idem tradidit: certe neque Apollinem neque Mercurium ita dici us-

---

[1]) Seru. ad Aen. I 155 'Sane ueteres omnes deos patres dicebant' ad Georg. II 4. 'Pater licet generale sit omnium deorum, tamen proprie Libero semper cohaeret: nam Liber pater uocatur'.

quam aut a poetis aut a sacerdotibus inuenio. Mitto Mercurium: eum enim praeconis tantum munere uel uiatoris in deorum conciliis fungi notum est, non contionantis [1]): itaque huius rationem habere minus opus erat ei, qui illa uerba facit. Apollinem uero, quem inde ab antiquissimis temporibus poetae pictores statuarum artifices finxerint imberbem [2]) pulchritudine sempiterna praeditum et iuuentute audire *magnum altum intonsum crinitum flauum formosum pulchrum Apollinem* apud poetas uidemus, legimus *pater Gradiuus*, *pater Portunus*, *pater Oceanus*, *pater Orcus*, et sic deinceps, *patrem* Apollinem nisi a Creusae filio uel a similibus Ionis inuocari per dei ipsam naturam non licet. Neque Gellius V 12 ubi de hac re agitur commemorat Apollinem, neque Macrobius I 18, ubi contendit Liberum patrem eundem esse atque Apollinem eodem utitur argumento, quo I 19, 3 euincere studet Liberum patrem et Martem patrem unum numen et nomine tantum diuersos esse, quod utrumque Romani patris appellatione uenerentur: quod argumentum illic attulisset si potuisset, hic adferri ridiculum erat, si ad unum omnes hoc cognomine uocabantur dei. Certe uirgines Uestales Apollinem ita indigitabant: 'Apollo Medice, Apollo Paean' (Macrob. I 17, 15). Ueri igitur simillimum est conqueri Apollinem apud Lucilium quod cum ceteri ad unum omnes patres dicantur, ipse pulcher [3]) καλός audire soleat ut exoleti ab amatoribus [4]), neque ulla re prohibemur quominus uu. 27. 28 L 24. 25 M, in quibus

---

[1]) Conf. Luciani deorum concilium atque eiusdem Iouem tragoedum: praeterea Philod. de piet. p. 43 Gomp. Etiam in Senecae apocolocyntosi 11 Mercurius apparitoris munere fungitur: apud Lucian. Iupp. trag. 1 οἰκέτην Iouis se ipse Mercurius dicit.

[2]) Conf. Lucian. Iupp. tragoed. 26. ubi Apollo ita loquitur: Εἰ καὶ τοῖς νέοις ἔτι καὶ ἀγενείοις ἡμῖν ἐφεῖτο ἐκ τοῦ νόμου δημηγορεῖν, ἴσως ἂν εἶπόν τι κτλ. Plut. mor. p. 389 C Philod. de piet. p. 26 Gomp.

[3]) Lucian. l. l. 43 de Apolline: Ποῦ νῦν ὁ καλὸς ἡμῖν κιθαρῳδός; Dial. mort. 10, 3 Ὁ καλὸς δὲ οὗτος τίς ἐστιν; Χαρμόλεως ... ὁ ἐπέραστος, οὗ τὸ φίλημα διτάλαντον ἦν.

[4]) Conf. interpp. ad Aristoph. Uesp. 98. — Apte conf. epigramma Alcaei A. P. XII 29 in puerum:

Πρώταρχος καλός ἐστι καὶ οὐ θέλει· ἀλλὰ θελήσει
Ὕστερον· ἡ δ' ὥρη λαμπάδ' ἔχουσα τρέχει.

de pulchritudine duarum feminarum a Ioue corruptarum deorum aliquis — id enim in libro I maxime est uerisimile — haec loquitur

ut contendere possem
Thestiados Ledae atque Ixionies alochoeo

eidem Apollini tribuamus recusanti pulchri cognomen. Apollinis ista de deorum cognominibus expositio quo modo ad Lupi interitum pertineat profiteri melius est nesciri quam uanis hariolationibus molestum fieri legenti. Apollinis igitur sententia de Lupi interitu quae fuerit plane incertum est, nisi forte τὸν λυκοκτόνον θεόν Lupos omnes perdendos censuisse coniciat quispiam: certe in istud Cornelii Lentuli agnomen (conf. Marquardt Roem. Alterth. V 1 p. 17 et 18) aliquid lusisse Lucilius putandus est, similiter atque Hor. sat. I 7, 33: 'Per magnos, Brute, deos te Oro, qui reges consueris tollere, cur non Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede, tuorum est'.

Iam accedamus ad alius dei orationem uu. 5 sqq.:

Uellem concilio uestrum, quod dicitis olim
caelicolae [factum, uellem] adfuissemu' priore
concilio.

tribuerunt plerique Ioui, 'minus bene cum uix unquam concilia deorum rege absente habita memorentur', ut Mueller recte adnotat. Semper apud Homerum domum Iouis conueniunt immortales ad deliberandum: Α 495 Δ 1 Θ 3 Υ 6. α 26 ε 3. Homeri exemplum cum poeta sine dubio secutus sit, ueri simillimum est finxisse eum illud prius[1]) concilium ad exemplar Odysseas libri I, ubi solus abest Neptunus, dum in Aethiopia moratur procul Olympo u. 26

ἔνθ' ὅτε τέρπετο δαιτὶ παρήμενος· οἱ δὲ δὴ ἄλλοι
Ζηνὸς ἐνὶ μεγάροισιν Ὀλυμπίου ἀθρόοι ἦσαν.

---

[1]) Recte Van Heusde stud. crit. in Lucil. p. 164 ad librum I rettulit inc. u. 1163 L 150 M: 'Concilio antiquo sapiens uir solu' fuisti', ubi Seruius *anticus* explicet *prior, qui praecedit eum, qui praesens est.* Sed male pro *uir* posuit *uix* non considerans et apud Lucianum Iou. trag. 15 Iouem deos alloqui ἄνδρες θεοί et apud Senecam apocoloc. 9 Ianum patrem dici hominem quantumuis uafrum.

Itaque hosce uu. tribuendos censeo Neptuno, quem etiam u. 14 L 12 M loquentem inducit poeta. Ceterum deorum epulas apud Aethiopes factas Lucianus quoque irridet Prom. 17 Philop. 4. περὶ θυσιῶν 2. Mueller Mineruae esse illos uersus suspicatur.

Sed quanam de re deliberantes deos fingit Lucilius?[1]) Duobus utimur testimoniis: alterum praebent uersus Lucilii qui supersunt, alterum Seruius ad Aen. X 104, cuius uerba editores (ad u. 3 L IV M) sic exhibent: 'Totus hic locus de primo Lucilii translatus est libro, ubi inducuntur di habere concilium et agere primo de interitu Lupi cuiusdam ducis in republica, postea sententias dicere. Sed hoc quia indignum erat heroo carmine mutauit. Et induxit primo loquentem Iouem de interruptis foederibus, cuius orationem interrupit Uenus, post secuta Iunonis uerba sunt, quibus redarguit Uenerem. Unde nunc Iuppiter illud quod omiserat reddit dicens: ergo quoniam pacem esse non sinitis, ea quae sum dicturus, accipite'. Uerba *agere primo de interitu Lupi cuiusdam ducis in republica, postea sententias dicere* ineptissima esse miror neminem editorum ad hunc locum adnotasse. Atque editor princeps ad. h. l. dicit *deos primum consultare ac agitare de interitu Lupi, postea autem singulos inter se sententias dicere*[2]): quae uerba non Seruii sed Dousae sunt neque cur eiusmodi concilium deorum indignum sit heroico carmine intellegitur. Deos Seruius dicit *primo agere, postea sententias dicere*: an inter agendum sententias non dicunt? Quo denique modo agunt de Lupi morte nisi sententias dicundo? Uerbis *postea sententias dicere* necesse est significetur id quod actionem in concilio sequitur, indignum sane heroico carmine, satirico carmini aptissimum: quod me quidem iudice nihil aliud potest esse nisi suffragii latio. Dei apud Lucilium primo agunt de interitu Lupi, postea sententias de eo *dant*

---

[1]) U 3 L 4 M: 'consilium summis hominum de rebus habebant' puto praecessisse mentionem Olympi, ita ut u. antecedens exierit fere in uerba 'ubi saepe.' Nam de Lupi interitu deorum consilium habetur.

[2]) Quem uidetur sequi Becker in Philol. V p. 727.

siue *ferunt* omnes; hoc quia indignum erat heroico carmine mutauit Uergilius ita, ut deorum eorum qui uerba faciunt sequens quisque orator refellat antecedentem, uincat Iouis sententia extrema. Contra iocose Lucilius rationem aut contionum aut iudiciorum aut senatus Romani adplicauit Olympo sicut apud Lucianum inducuntur di habere concilium et agere primo de dis spuriis Olympo mouendis, postea de hac re suffragia dare: conf. Lucian. deor. conc. 19, ubi Iuppiter: Δικαιότατον ὦ Μῶμε· καὶ ὅτῳ δοκεῖ (sc. τὸ ψήφισμα), ἀνατεινάτω τὴν χεῖρα. Μᾶλλον δὲ οὕτω γινέσθω· πλείους γὰρ οἶδ' ὅτι ἔσονται οἱ μὴ χειροτονήσοντες. Neque aliter in apocolocyntosi Senecae 11. At uerbis *sententias dicere* suffragii latio significari non potest: aliud enim est sententias dare siue ferre (Cic. Cluent. 75) aliud sententias dicere: hoc ad deliberationem ipsam pertinet, illud non pertinet: uerba *sententias dicere* corrupta sunt. Uerbis Seruii *sed hoc quia indignum erat heroo carmine* quae sine dubio non ad rem de qua agitur sed ad rationem qua in agendo utuntur pertinent, indicatur iocus aliquis Lucilii: puto poetam esse imitatum id concilium urbis patriae, cuius principem hoc ipso concilio lacerari finxerit, senatum populi Romani, ut Seneca in Menippea. Corrigendum puto: 'ubi inducuntur di habere concilium et agere *primo* de interitu Lupi cuiusdam . . . *post in sententias discedere.* Sed hoc quia indignum erat heroo carmine mutauit et induxit *primo* loquentem Iouem de interruptis foederibus cuius orationem interrupit Uenus, *post* secuta Iunonis uerba sunt quibus redarguit Uenerem' e. q. s. Senatores cum desierant *sententiam dicere et disputare* (Sen. apocol. 9), in sententias discedebant: quod cum notissimum sit, sufficiat arcessere Uarronem apud Gell. III 18, 6: 'Nam et curulibus magistratibus functi . . . non rogabantur sententias, sed quas principes dixerant, in eas discedebant[1]). Sic apud Senecam in concilio deorum di audiunt *patres*[2]) *conscripti*

---

[1]) Conf. Gell. XIV 7, 13 Sueton. Tib. 31. Liu. III 41, 1 XXVIII 45, 5. Lange Roem. Alterth. II p. 353.

[2]) Huc etiam referas uersus illos quibus de cognomine *pater* agitur supra allatos. Bouterwek mire putat significari uerbis Seruii duo concilia deorum l. l. p. 339.

(apocol. 10), *primus interrogatur sententiam Ianus pater* (9), proximus Diespiter, dein Augustus sententiam dicit de Claudio ex Olympo eiciendo: postremo 'pedibus in hanc sententiam itum est' (11).

Iam ubi uidimus quo modo di agentes inducantur, proximum est quaerere quisnam fuerit Lupus ille, de cuius interitu deliberant, dein quonam tempore concilium deorum habitum finxerit poeta. Fuisse eum P. Rutilium Lupum putant Porphyrio ad Hor. sat. II 1, 68 Dousa van Heusde: male. Oportet enim intellegamus hominem potentem aliquem a Lucilio impugnatum: at P. Rutilius Lupus cos. 664/90, qui solus si Porphyrio non errauerit in censum uenit, eo tempore quo Lucilius de morte Lupi scripsit, nondum adultus erat. Itaque recte Popma ni fallor primus intellexit decipi a Porphyrione uiros doctos et proposuit carptum a Lucilio L. Cornelium Lentulum cos. 598/156 cens. 607/147, de quo nihil scimus nisi quae Cic. Tusc. III 51 Brut. 79 Ual. Max. VI 9, 10 Fest. p. 285 tradunt[1]) non pertinentia ad Lucilium. Sed quae adscripta sunt ad Hor. sat. II 1, 67 in codice Parisino 7975 ϒ Hauthalii, cuius praestantiam iam supra cognouimus cum u. 271 L VIII 7 M tractabamus, Acronis uerba a plerisque neglecta, ea summi pretii esse neque omnino a scholiasta potuisse fingi puto: dicit enim haec: *Offensi*: *Laesi. Num inimici ipsius 'facti sunt aut propter Lupum, aut propter Metellum. Lupus princeps fuit senatus.* Acronem qui omnino Porphyrione doctior est ubi de Lucilio agitur, hoc finxisse utique nego: neque enim est unde potuerit fingere. Legebatur princeps senatus quinto quoque anno a censore plebeio collega patricius, quod patricii tantum illo munere functi esse uidentur (Mommsen Roem. Forsch. I p. 94). Atque anno 623/131 'Q. Pompeius Q. Metellus tunc primum uterque ex plebe facti censores lustrum condiderunt'. (Liu. per. 59). Qui Lucium Lentulum Lupum[2]) legerunt principem

[1]) Drumann G. R. II p. 528. Legatus fuit anno 592/162 (Polyb. XXXI 23) aedilis curulis 591/163 (titulus Ter. Heautont.).

[2]) Mire accidit, ut Mommsen Roem. Forsch. I p. 94 ignarus huius testimonii eundem *L.* Lentulum principem senatus fuisse sumeret: sed

senatus, cum App. Claudius censor patricius anno 618/136 et inde princeps senatus[1]) circa annum 621/133 decessisset, sine dubio morem anticum secuti, ex quo censores, qui primus censor ex eis, qui uiuerent, fuisset, hunc principem senatus legebant. (Liu. XXVII 11, 10). Princeps senatus qui lectus erat, nisi senatu mouebatur fungi solebat hoc munere usque ad mortem per omnia quae sequebantur lustra: quod apertum fit e Liu. XXXIX 52: 'Scipionem et Polybius et Rutilius hoc anno mortuum scribunt. Ego neque his neque Ualerio adsentior, his, quod censoribus M. Porcio L. Ualerio L. Ualerium principem senatus ipsum lectum inuenio, cum superioribus duobus lustris Africanus fuisset, quo uiuo, nisi ut ille senatu moueretur, quam notam nemo memoriae prodidit, alius princeps in locum eius lectus non esset'. Lupus senatu motus Lucilii tempore non est, nam anno 624/130 siue 625/129 quo fere tempore libri XXVIII uu. 692 L 3 M sqq. scripti sunt luditur a poeta ut iudex rigidus: iudices autem usque ad C. Gracchi legem iudiciariam anno 631/123 latam e senatoribus legebantur. Ex Ciceronis scriptis nouimus *P.* Cornelium Lentulum cos. 592/162 fuisse principem senatus anno 633/121 quo ipse anno natus circiter octoginta quattuor et complures alii summi uiri armati C. Gracchum in Auentinum persecuti sunt. Quo in proelio graue uulnus accepit (Cic. Phil. VIII 14 diu. in Caec. 69). Ex eadem igitur gente Lentulorum exstitere illo tempore duo ex continuo principes senatus sicut tres continuos principes senatus e gente Fabia factos memorat Plin. VII 133. — Atque agunt di de interitu Lupi: itaque Lupus quo tempore concilium deorum erat nondum obierat. Uersu 14 L 12 M

nec si Carneaden ipsum Orcu' remittat

---

errauit de tempore (conf. Mus. Rhen. XIX p. 455). *P.* Cornelium Lentulum porro non recte, ut ex eis quae disputaui efficitur, putat iam lectum esse anno 623/131, cum lectus sit anno demum 629/125.

[1]) Fuit App. Claudius Pulcher cos. 611/143 cens. 618/136; mortuus est eodem fere tempore, quo gener eius Ti. Gracchus occisus est 621/133. Conf. Plut. Ti. Gracch. 4 Ἐδήλωσε δὲ Ἄππιος Κλαύδιος ἀνὴρ ὑπατικὸς καὶ τιμητικὸς καὶ προγεγραμμένος κατ' ἀξίωμα τῆς Ῥωμαίων βουλῆς κτλ. Appian. b. c. I 18. Drumann G. R. II p. 181.

euincitur, concilium habitum esse aliquanto post Carneadis mortem, quem decessisse dicit Apollodorus in chronicis apud Laert. IV 65 ol. 162, 4 anno 625/129 aut 626/128. *P.* Cornelius Lentulus princeps senatus lectus est sine dubio a censoribus Cn. Seruilio L. Cassio, qui anno 630/124 lustrum condiderunt[1]). Solebant autem censores lustrum condere non minus duodecim mensibus postquam censores creati erant (Mommsen Roem. Staatsr.[2] I p. 342) atque cum creati erant primum aggrediebantur ad senatum legendum (Mommsen l. l. p. 415 Weissenborn ad Liu. XXIX 37, 6). Eodem die quo creati erant in comitiis centuriatis magistratum inibant: quod fieri solitum esse mense Aprili ita ut mense Maio anni sequentis lustrum conderetur demonstrat Mommsen l. l. p. 339. 342. Itaque uere 629/125 *P.* Cornelius Lentulus princeps senatus lectus est, intra annum 626/128 et uer anni 620/125 *L.* Cornelius Lentulus obiit: eo tempore hoc est anno 627/127 aut 628/126 deorum concilium fuisse putandum est[2]). Lupus anno 628/126 decessit, paullo post eius mortem librum I Lucilius composuit eodem anno, qua de re infra.

Iam apud Seruium l. l. traditum est in codicibus Guelferbitano *de interitu Lupi cuiusdam iudicis rei* Parisino *cuiusdam ducis.* Reginensi *cuiusdam in rebus.* Editores nouissimi secuti sunt Lionem, qui scribit *ducis in republica*: quod me iudice rectum non est. Cornelius Lupus tum supra septuaginta annos natus erat neque dux exercitus esse potuit. Neue uocem *ducis* interpretemur tanquam *hominis potentis* uel *principis*, prohibemur eo quod tam simpliciter ac nude posita uix intellegi potest nisi de imperatore populi Romani: neque enim apud rhetorem illa uerba leguntur sed apud grammaticum suis ac propriis uerbis singula significantem[3]). Bene

[1]) Conf. Zumpt Mus. Rhen. XXVI p. 7 Liu. per. 60. Mommsen Roem. Staatsr.[2] I p. 341, 1 de Boor fast. cens. (Berol. 1873) p. 21.

[2]) Obiit autem annos natus fere septuaginta tres secundum legem Villiam. Lupum reapse decessisse prius quam Lucilius deos de eius interitu finxerit contionantes nemo dubitabit.

[3]) Cic. de or. III 63: '. . . procul abest tamen ab eo uiro, quem quaerimus et quem auctorem publici consilii et regendae ciuitatis ducem et sententiae atque eloquentiae principem in senatu, in populo, in causis publicis esse uolumus'. Vide quam diuersa haec sint a loco Seruii.

iudicis praebet codex Guelferbitanus: grauissimum enim est, quod Lupus apud Lucilium ipsum iudex describitur libro XXVIII, sine dubio poetae infestus, ut C. Caelius[1]) iudex apud Cornif. ad Her. II 19. 'In republica' quod editores ponunt, uehementer languet: opus si quicquam flagitatur, adiectiuum opus est adpositum ad *iudicis*: e litteris *in rebus* et *rei* corruptis eliciendum est fortasse (Lupi cuiusdam iudicis) *improbi*. Conf. u. 1071 L inc. 160 M, quem ut omnes Lucilii uu. apud Rufinianum seruatos libro I tribui debere me monuit Buecheler.

Ex dei nescio cuius sententia desumpta sunt haec tria fragmenta: uu. 8. 9. 10. 31 L 14. 15. 33. 37.

quo populum atque urbem pacto seruare potisset
ampliu' Romanam . . .
munus tamen fungi et muros seruare potissent (codd. possint) . . .
si non amplius, at lustrum hoc protolleret unum

Atque agitur quidem in duobus primis uersibus de deo aliquo, qui urbem et populum quo modo seruare possit meditatur; e uersu ultimo apparet eundem operam dedisse, ut saltem ad lustri finem urbis interitum differret aut urbem ipsam saluam protolleret: ubi animaduertendum est *hoc* pronomen quod significet id quo uiuunt lustrum praesens. Uidemus ex uerbis *potisset* et *protolleret* sententiam non a deo ipso dici sed dictam in concilio referri. Ad uerba conf. Hor. carm. saec. 65 'Si Palatinas uidet aequus arces, Remque Romanam Latiumque felix Alterum in lustrum meliusque semper Prorogat aeuum' (sc. Apollo). Ual. Max. IV 1, 10. 'Africanus . . . censor cum lustrum conderet inque solito fieri sacrificio scriba ex publicis tabulis sollemne ei precationis carmen praeiret, quo di immortales ut populi Romani res meliores amplioresque facerent, rogabantur: Satis, inquit, bonae ac magnae sunt. Itaque precor ut eas perpetuo incolumes seruent.

---

[1]) Valde dubium nomen istud *C. Caelius* est; codices optimi praebent *Caelius* omisso praenomine, Herbopolitanus *atelius*: codices deteriores nonnulli *C. Caelius* nonnulli *Aulus Caelius*. Nomen cum aperte corruptum sit, uel *L. Cornelius* iudex de quo agimus in litteris corruptis potest latere.

Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendare iussit'. Itaque unus ex deis censuerat urbem funditus euertendam. Tunc Iupiter (si in u. altero *potisset* scribendum est: di omnes, si *potissent*) cogitauit quomodo iram portendere posset propter iudicem improbum et simul

munu' tamen fungi et muros seruare potisset.

Audiunt enim di seruatores θεοὶ σωτῆρες, Iupiter *seruator* uel *conseruator* dicitur in inscriptionibus apud Gruterum XVIII 6 Orellium 1225 sqq.: templum Iouis Soteris in Capitolio memorat Seru. ad Aen. VIII 652, porro Iuno *seruatrix* uel *conseruatrix* appellatur, similiter Diana Minerua Proserpina. Inprimis autem eorum deorum qui *tutelares* dicuntur munus erat urbem seruare: conf. Macrob. III 9. Bene muros dixit pro urbe: muri quantopere religione sanciti fuerint notum est. (Conf. interpp. ad Liu. I 7, 2)[1]).

Quomodo uero Iuppiter portendat iram deorum excitatam in iudicem improbum discimus ex uu. 24 sqq. L 19 sqq. M

ut multos mensesque diesque
non tamen aetatem tempestatem hanc scelerosi
mirentur

quos uersus corrupit Dousa, quem male secutus est Bouterwek[2]). Neque enim cum Dousa putauerim *tempestatem* uocabulum significare *tempus* neque cum Corpeto *hominem scelerosum* intellexerim, sed quod proximum est, procellam et imbrem[3]). Bene deinde se habet *mirentur*, nam portenta et prodigia a dis missa mirantur homines. Conf. Hom. ν 153

Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς·
ὦ πέπον, ὡς μὲν ἐμῷ θυμῷ δοκεῖ εἶναι ἄριστα,
ὁππότε κεν δὴ πάντες ἐλαυνομένην προΐδωνται
λαοὶ ἀπὸ πτόλιος, θεῖναι λίθον ἐγγύθι γαίης
νηῒ θοῇ ἴκελον, ἵνα θαυμάζωσιν ἅπαντες
ἄνθρωποι, μέγα δέ σφιν ὄρος πόλει ἀμφικαλύψαι.

Liu. II 62 'Prohibuit foeda tempestas cum grandine ac toni-

---

[1]) Aliter de hoc uersu statuit Bergk apud Bouterwekium p. 348.

[2]) L. l. p. 358. Scripsit: 'ut multum . . . aetatem et . . . laetentur.'

[3]) Ad eandem tempestatem a dis motam pertinere uu. 1179 L inc. 158 M sqq. Buecheler me docuit.

tribus caelo deiecta. *Admirationem* deinde auxit signo receptui dato adeo tranquilla serenitas reddita, ut uelut numine aliquo defensa castra oppugnare iterum religio fuerit'. Conf. XXVI 11, 3. Hor. ep. I 6, 1. Tempestates quanta religione suspexerint Romani, notum est ex Liuii annalibus: conf. XXV 7, 7 XL 45, 2. 58, 3.

Illi Lucilii uersus sine dubio dei sunt uerba, non poetae, ut *mirentur* praesens indicat: Iouem puto refelli a fratre Neptuno qui dicat Romanos multos quidem dies et menses, non tamen per longinquum tempus hanc tempestatem quam propter iniusta Lupi iudicia immissurus ille sit miraturos esse. Oportere insuper malum iudicem male perire, ut deorum iram clare cernant homines. Mittuntur enim a Ioue tempestates (Hom. Π 365 Hor. carm. I 2) atque poetam haec ita composuisse puto memorem Homeri Π 384 sqq. ubi de tempestate ob iudices improbos a Ioue irato immissa:

ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθών
ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,
οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες

e. q. s. conf. Callim. hymn. in Iou. 81. Plaut. Rud. prol. 15 Preller Gr. Mythol. I p. 120. Quae si recte conieci, aliquam tempestatem quae intra annum exeuntem 626/128 et uer anni 629/125 populum terruerat Romanum respexisse putandus est Lucilius atque interpretatus esse ea ratione qua Cic. ad Quint. fr. III 7 tempestatem anno 700/54 coortam scribens: 'Romae et maxime Appia ad Martis mira alluuies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernae plurimae: magna uis aquae usque ad piscinam publicam. Uiget illud Homeri: ἤματ' ὀπωρινῷ . . . χαλεπήνῃ. Cadit enim in absolutionem Gabinii: οἵ βίῃ . . . ἀλέγοντες'. Dicere poetam certam aliquam tempestatem efficitur cum inde, quod hoc si sumimus mirum quantum uiget satura, tum *hanc* pronomine apposito. Bene congruit quod Iulius Obsequens 89 refert ad annum 628/126 M. Aemilio L. Aurelio coss.: 'Nocturna tempestate in Capitolio aliquot templa concussa sunt. Romae et circa fulmine pleraque deiecta sunt.' Itaque hoc anno concilium deorum habitum finxisse

poetam colligo, in quo decreuerint et tempestate inmissa declarari oportere iram deorum in malum iudicem et ipsius morte satiari. Mors Lupi prodigiosa fit sicut Romuli tempestate eodem tempore coorta. Sine dubio eius dei sententia uicit postremo, qui Lupum occidendum esse censuit. Neque uero iambicus eius obitum tanquillum aut serenum fecisse putandus est: sed eo fato hercle morientem induxit Lupum quo nullum potuit esse uel turpius uel festiuius. Nam habemus uerba proclamantis uu. 21. 22 L 34. 35 M:

ad cenam adducam, et primum hisce abdomina thunni [1])
aduenientibu' priua dabo, cephalaeaque acharnae.

Quos uu. quia fuerunt libri I quo deorum concilium continetur sine dubio deus profatur. Caue deo indignos putes: non putabis, si similia quae admiserint Lucianus et Seneca et praecipue Epicharmus, qui in comoediis deos saepissime induxit de eduliis uociferantes consideraueris. Animum attendas ad *hisce* uocabulum, inprimis uero ad futurum tempus *adducam dabo.* Sunt uidelicet uerba dei, fortasse propter piscium mentionem [2]) Neptuni exponentis in concilio postquam deorum senatus Lupo esse intereundum decreuit, quomodo eum perempturus sit. Adducit Lupum Lupique congerrones [3]) ad cenam, multis [4]) ferculis allatis Lupum cogit uoracitate sua animam efflare. Haec me non hariolari uideas e u. 1084 L IV 7 M

occidunt Lupe, saperdae te et iura siluri

---

[1]) Abdomina thunni dicunt Graeci ὑπογάστρια θύννου: conf. Athen. VII p. 302 D. Plin. IX 48.

[2]) Conf. Philemonis u. apud Mein. com. 4, 27: ὃν τοῖς θεοῖς Φέρει Ποσειδῶν γόγγρον εἰς τὸν οὐρανόν. Epicharm. Ἥβας γάμῳ 21 Lorenz: Αὐτὸς ὁ Ποτιδὰν ἄγων γαύλοισιν ἐν Φοινικικοῖς ἧκε καλλίστας σαγήνας e. q. s. Lucian. Iou. trag. 25 Ἄπαγε, θυννῶδες τὸ ἐνθύμημα ὦ Πόσειδον κτλ.

[3]) Conf. inc. 1010 L 64 M.

[4]) Multis ferculis cenam parari patet ex uocabulo *primum*, quod gustationem significat: conf. Martial. X 48, 12: 'Et madidum thynni de sale sumen erit. Gustus in his: una ponetur cenula mensa' e. q. s. Cels. I 2. 'Cibus a salsamentis . . . melius incipit.'

quem ad libros XXI priores maiore iure referes, quam ad reliquos raro a scriptoribus adhibitos: inter priores libros ueri simillime ad primum. Etenim in reliquis libris corporis prioris num Lupum mortuum insectatus sit poeta, incertum est: atque quod his ipsis uerbis de Lupo intereunte salsamentis deuoratis agitur, mire congruit cum libro primo ubi de eius interitu deliberant di et de apponendis salsamentis uerba fiunt. Neque enim *occidunt te* potest esse *tuam rem familiarem perdunt*, quia et saperda et silurus uilissimus piscis est, neque *te enecant molesti*: Lupum enim laudare certe non uult. Sine dubio lusit eum poeta ut ὀψοφάγον, qui moriatur piscibus comesis multis sicut apud Athen. VIII p. 341 B Machon comicus Philoxenum inducit morientem polypo ingenti deuorato, alius ἰχθυοφάγος piscem comedens decessisse traditur ibidem p. 345 C[1]). Saperda, κορακῖνος ex Ponto (Pers. V 134), 'genus pessimi piscis' (Festus) contemnitur ab Archestrato apud Athen. III p. 117 A neque magni fit ab Amphide l. l. VII p. 309 A (conf. p. 308 F). Silurus puter (Iuu. XIV 132), σαπρός (Diod. com. ap. Athen. VI p. 239 E Sopat. l. l. p. 230 E) piscis uilis, de quo conf. Plin. XXXII 94: 'Aluum emollit *silurus e iure* et torpedo in cibo. Et holus marinum simile satiuo, stomacho inimicum, aluum facillime purgat, sed propter acrimoniam cum pingui carne coquitur, et omnium piscium ius'. Dici puto hunc uersum a deo aliquo, qui Lupum uideat animam efflantem mortes multas enumerans, quas mortales oppetant ioco fortasse simili adhibito Horatiani sat. I 9, 31:

---

[1]) Conf. Luc. dialog. mort. 7. Sotad. l. l. infra Πουλύποδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν. Ual. Max. III 5, 3 'Clodius Pulcher . . . mortis erubescendo genere consumptus est. Abdomine enim auide deuorato . . . spiritum reddidit. — Lege Licinia de modo salsamentorum statutum erat, ne amplius daretur apponeretur salsamentorum pondo libra (Macrob. III 17, 9): multum enim tum ὀψοφαγία grassabatur. Ceterum de interitu talis ὀψοφάγου scripsit parodiam Hipponax frg. 85:

Μοῦσά μοι Εὐρυμεδοντιάδεα, τὴν ποντοχάρυβδιν
τὴν ἐγγαστριμάχαιραν, ὃς ἐσθίει οὐ κατὰ κόσμον,
ἔννεφ', ὅπως ψηφῖδι κακὸς κακὸν οἶτον ὄληται,
βουλῇ δημοσίῃ παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο.

Hunc neque dira uenena nec hosticus auferet ensis,
nec laterum dolor aut tussis, nec tarda podagra,
garrulus hunc quando consumet cumque.

Conf. Semonid. ap. Stob. flor. 98, 16 Sotad. l l. 9, inprimis Lucian. Iou. trag. 25 ΖΕΥΣ. Παίζεις, ὦ Πόσειδον ἢ τέλεον ἐπιλέλησαι ὡς οὐδὲν ἐφ' ἡμῖν τῶν τοιούτων ἐστίν, ἀλλ' αἱ μοῖραι ἑκάστῳ ἐπικλώθουσι, τὸν μὲν κεραυνῷ, τὸν δὲ πυρετῷ ἢ φθόῃ ἀποθανεῖν. Postremo quod supra dixi poetam sine dubio multum in Lupi nomen lusisse in hunc uersum aperte cadit. Lupus enim piscis fuit Lucilii tempore nobilissimus et pretiosus et grandis: quem cum clamitet a uilibus et pusillis saperdis occidi lepide ancipiti significatione uerborum iocatur.

III. DE ARGVMENTO LIBRI II.

Inc. uu. 993—995. 986 sqq. L 33. 34. 62. 26 sqq. M

I.

Quam lepide λέξεις compostae, ut tesserulae, omnes
arte pauimento atque emblemate uermiculato!

II.

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis!

III.

Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
municipem Ponti, Tritanni, centurionum,
praeclarorum hominum ac primorum, signiferumque
maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,
id quod maluisti, te, cum ad me accedi', saluto:
χαῖρε, inquam, Tite. Lictores, turma omni' cohorsque:
χαῖρε, Tite. Hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus [1]).

Editores nouissimi male in fragmento primo posuere *pauimenti*: recte codices Ciceronis quem accurate Nonius, socordius Plinius transscripsit uersum expresserunt. *Pauimento* est *in pauimento*, sicut *emblemate* Cicero ipse positum esse indicat pro *in emblemate* Brut. 274: *uermiculato* ad utrumque substantiuum pertinet. Conf. 1037 L XXIX 104 M hic stare papillas Pectore marmoreo [2]). Lucr. I 978 quo minu' quo missum est ueniat finique locet se. 1022. III 104 IV 71. In fragmento tertio una uox restat emendanda.

---

[1]) Tractaui hoc fragmentum in libello: Exercitationis grammaticae specimina edid. seminarii philologorum Bonnensis sodales 1881 p. 6.

[2]) XII 368 L 3 M: 'Firmiter hoc pariterque tuo sit pectore fixum'.

Uersum enim secundum codices optimi praebent talem:
municipem Pontii Tiranii conturionum

Tiranii cod. Palatinus manu priore et Erlangensis: sed in priore manu secunda correctum est *Tritanii*, in editione Moreliana a Maduigio ualde laudata ob scripturas ueras nonnusquam seruatas inuenitur *Titi Anni* coniectura sine dubio eaque falsa. Duae patent uiae emendationis, una si quaeres nomen proprium ut Pontium: qua qui ingressi sunt editores parum felices fuerunt: nam de Tritano uel Tritanno gladiatore uerbum nullum perdam [1]). Itaque uel substantiuum uel adiectium, quo Pontii persona illustretur censeo quaerendum. *Tiranii* codices principes: Palatini corrector multis locis genuinae scripturae seruator hoc loco debebat me iudice r in t litteram mutare, non t inserere ita ut *Tritanii* euaderet. Dignum stilo Luciliano arbitror *Titanii*. Discimus enim ex Catonis uerbis ap. Cic. de sen. 33 'ne uos quidem T. Pontii centurionis uiris habetis' hunc Pontium fuisse hominem eximiis uiribus corporis praeditum. Itaque Titanius est ἀκαμάτῳ Τιτῆνι βίην ὑπέροπλον ἐοικώς, ut Q. Smyrn. XIV 550 de Aiace dicit [2]). Sic Briareus ap. Plut. de tranquill. an. cap. 10 pro uiro nimio robore praedito ponitur, apud eundem Marcell. 17 Archimedes Briareus appellatur, conf. de amic. mult. cap. 1. A. P. IX 708 Χερσὶ γιγαντείαις δ' ἔστασε νέρθεν ὕδωρ. In codice archetypo Ciceronis scriptum erat *Pontii Titanii*: Lucilius autem dixit *Ponti Titani* siue ab adiectiuo *Titanius* deductus est iste genetiuus in substantiuis legitimus, siue a substantiuo *Titanus* [3]), qua de forma apud Plautum Naeuium

---

[1]) Tritannus gladiator eximiis uiribus corporis praeditus memoratur Solin. I 75 Plin. VII 81 Uopisc. Firm. 4. Fac recte Huebnerum ephem. epigr. II p. 48 contra Maduigii adnotationem contendisse iam illo tempore gladiatorem potuisse centurionem fieri XIII annos ante Marii primum consulatum, certe Lucilius gladiatorem admissum sacramento non poterat proponere exemplar hominis Romani neque una cum Pontio uiro nobilissimo (Macrob. III 16, 3) appellare.

[2]) Similiter Aesch. Septem 407 Capaneus γίγας Orph. hymn. XII 1 Hercules Τιτάν Callim. hymn. in Del. 174 Galli ὀψιγόνοι Τιτῆνες.

[3]) Atlas pro giganteo homine Iuu. VIII 32.

Ennium alios usurpata uide Schoemannum ad Cic. de nat. deor. II 70. Uox *centurionum* significanter posita significat homines strenuos subrusticos illiteratos, inprimis Graecorum studiorum fastidiosos sicut apud Pers. III 77 gens hircosa centurionum V 189 sqq. uaricosi centuriones [1]) Mart. XI 3, 4 rigidus centurio.

Illa tria fragmenta ex uno eodemque libro esse desumpta nemo negabit: dicuntur enim a Q. Mucio Scaeuola augure omnia in eundem T. Albucium et de eadem re. Ex fragmentis primo et secundo apparet praesente Albucio, qui modo orationem habuerit Scaeuolam uerba facere, nec solo Albucio praesente, sed pluribus, quibus in fragmento tertio demonstret unde Albucius sibi inimicus factus sit. Haec tria fragmenta non possunt non referri ad narratum a Lucilio iudicium repetundarum [2]), quod anno 634/120 Albucio accusante de Scaeuola factum est; qui anno 633/121 praetor Asiae prouinciae fuerat (Cic. de or. II 269), ex praetura anno 634/120 repetundarum a T. Albucio postulatus est. Quae causa a Cicerone saepissime memoratur; sine dubio Lucilii satura eius fama tantopere propagata est. Utri Lucilius fauerit in narratione actionis, difficile iudicatu est: nam Mucio *subiratus* dicitur a Cicerone de or. I 72 et Albucii uidetur artes pueriles risisse, nisi Cicero praue rem narrat. Lucilius igitur iudicium illud tradidit memoriae in satura qua Albucii oratio referebatur, post sequebatur Scaeuolae oratio: ex hac tria illa fragmenta apud Ciceronem seruata sunt. Nam 'Mucius augur, quod pro se opus erat, ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. Is oratorum in numero non fuit, iuris ciuilis intellegentia atque omni prudentiae ge-

---

[1]) Qui uersus dignissimi sunt quos cum Lucilii illo fragmento conferas: utrobique enim centurioni robusto comparantur Graeci. Sunt uero hi:

Dixeris haec inter uaricosos *centuriones*
continuo crassum ridet *Fulfenius ingens*
et centum *Graecos* curto centusse licetur.

Fulfenius ingens quam accurate respondeat Pontio *Titano* patet.

[2]) Ita etiam Duentzerum Die roem. Satiriker p. 53 iudicasse uideo.

nere praestitit'. (Cic. Brut. 102: conf. de or. I 214. 234). Itaque longiorem orationem Lucilium opinor tribuisse Albucio, Scaeuolam inducit breuiter exponentem ueram accusationis causam. Iudicii uestigia nusquam uidemus nisi in libro II; ibi esse certa neminem fugiet qui accurate fragmenta perleget. Quoniam uero plura iudicia descripta esse a Lucilio parum ueri simile est optimeque fragmenta libri II ad iudicium illud possunt referri, libro II Albucii et Scaeuolae causam esse narratam colligo.

Atque fragmenta bene coeunt in causam illam repetundarum, quamuis corrupta. Albucii sunt u. 59 L 1 M:

I. homo impuratus et *impuro* † est rapinator

deinde uu. 63. 64 L 9. 10 M

II. impuratum hunc in fauces inuasse animamque
elisisse illi

porro uu. 57. 58 L 6. 7. M

III. nunc nomen *litem*que ex testibus ipse rogando
exculpo. Haec dicam . . .[1])

u. 41 L 4 M

IV. ut iure peritus

uu. 46 sqq. L 13 sqq. M

V. Nam quid moetino subrectoque huic opu' signo?
Ut lurcaretur lardum et carnaria fartim,
† Parum conficeret . . .

u. 44 L 2 M.

---

[1]) Codd. *nomen iamque* cum praebeant, Scaliger *Nomentani quae* scripsit admodum infelici coniectura usus: genetiuus ad *testibus* pertinens male se habet. Nomentanus num in Lucilii saturis omnino carptus fuerit, ualde dubitandum est uel ideo quod quae Porphyrio ad Hor. sat. I 1, 102 habet sine dubio ex egregio fonte deducta sunt, contra ex Acronis uerbis ad sat. II 1, 22 C. F. Hermann uerbum *Lucilius* recte eiecit. (Conf. Mueller edit. p. 167). In Lucilii reliquiis ipsis nil adhuc inuentum est, quo demonstrari posset Nomentanum a poeta laesum esse. Certe duo illa fragmenta libri II ita corrupta sunt, ut nil inde possit colligi. Uersus 69 L 8 M nondum emendatus est: sed eo quem hic tractaturus sum uersu uocabulum *nomen* perbonum esse uidebimus. Itaque quae Becker in Mus. Rhen. V p. 370 probare studuit comprobare non possum.

VI. non dico: uincat licet, et uagus exulet, erret exlex.

Ad fragmentum I conf. quae Cic. in Uerrem repetundarum reum act. I 12—15 conuicia iacit[1]): uerba nondum sanata sunt. *Impuro* ab impurando ductum posui pro *impuno* quod est in codicibus, sicut *appeto comedo combibo accendo* substantiua recte formata sunt: conf. Heinrich ad Pers. I 12. In fragmento secundo animum attendas ad *hunc* pronomen: clamat Albucius, Mucium homini gulam oppressisse cuidam in uulgi sermonibus ferri. In fragmento III *nomen litemque*[2]) posui pro codicum scriptura *nomen iamque*: nomen scilicet pecuniae ablatae captae coactae conciliatae auersae a reo (Lex Acilia repetundarum § 3 in Brunsii fontibus iur. Rom. p. 54). De hac significatione uocis *nomen* conf. interpp. ad Hor. ep. II 1, 105 Cic. de off. III 59 de nat. deor. III 73. Cic. pro Balbo 11: 'Audiui hoc de parente meo puer: cum Q. Metellus L. f. *causam de pecuniis repetundis diceret* . . . cum ipsius tabulae circumferrentur inspiciendi *nominis* causa fuisse iudicem ex illis equitibus Romanis, grauissimis uiris neminem, quin remoueret oculos et se totum auerteret, ne forte, quod ille in tabulas publicas rettulisset, dubitasse quisquam, uerumne an falsum esset, uideretur'. Albucius his uerbis testes interrogat coram iudicibus quod et M. Cicero fecit in causa Uerrina; conf. act. I 55 de or. II 244 Quintil. V 7, 26. De testibus tabulisque producendis in repetundarum causa conf. legem Aciliam l. l. § 34: tabulas productas esse in illa ipsa Albucii causa notum est Albii altercatione et Granii praeconis de qua Cic. de or. II 281 opusque erat in causa repetundarum testibus dumtaxat III. productis ex lege Acilia (§ 32. 34), quam latam esse anno 631/123 uel 632/122 de-

---

[1]) Albucius contumeliosissimus fuisse uidetur, quod Cic. de nat. deor. I 93 indicat. Ceterum etiam in philosophia Mucius et Albucius dissidebant: nam hic perfectus Epicureus euaserat (Cic. Brut. 131), ille contra Panaetii auditor Stoicis fauebat. (Cic. de or. I 75 Brut. 101.)

[2]) *Litemque* scripsi, id est res de qua litigatur, pecuniae repetundae, quarum nomina singula sese iam ex testibus interrogando prolaturum profitetur Albucius. De litis aestimatione conf. lex Acilia § 7. 58.

monstrauit Mommsen CIL. I p. 55, duobus uel tribus annis ante Albucii causam. Testis uidetur esse Aemilius u. 55 L 22 M, item testes oculati Postumius Hortensiusque u. 42 L 11 M. Perorationis Albucii partem habes fr. VI ubi uerba *non dico* recte se habent, num *uincat* mutandum sit dubito quia quid in uu. praecedentibus fuerit, incertum. Fortasse dixit Albucius sese moleste non laturum esse si quanquam crimine hominis necati (u. 63 L 9 M) oppressus capitis poenam effugiat et exsilii causa solum uertat repetundarum damnatus: quod saepe accidisse notum est ex causa Albucii ipsius anno 651/103 dicta[1]), ex causis Rutilii[2]) Uerris aliorum, qui aut damnati repetundarum in exsilium ierunt aut damnatione non exspectata urbe cesserunt: de talibus reis conf. legem Acil. § 29. Etenim num repetundarum damnati exsilio ut multarentur lege Acilia statutum fuerit, ex fragmentis non liquet; sunt qui non dubitent: conf. Rein in Paulyi Realencyclop. s. u. Repetundarum crimen: sunt qui omnino unquam repetundarum reos exsilio esse multatos negent (Zumpt Abhandl. d. k. A. d. W. z. Berl. 1845 p. 41 Drumann G. R. II p. 489).

Duo fragmenta IV et V restant explicanda, quorum prius *ut iure peritus* quam bene ad Mucium referatur uides[3]): alterum

[1]) Cic. de off. II 50 Tusc. V 108 pro Scauro 40.

[2]) Cic. de nat. deor. III 80 pro Scauro I 2 et passim.

[3]) Mucii omnes iuris prudentia excellebant: Hor. ep. II 2, 89. De Mucii auguris eximia iuris scientia multa Cicero, uelut de or. I 66. 234. 250. conf. 39. 165. Brut. 102. 212. — Ceterum u. obsceno 52 L 21 M

si natibus natricem impressit crassam et capitatam

quod amoris puerilis Scaeuolam arguit Albucius et u. illo 63 L 9 M

impuratum hunc in fauces inuasse animamque
elisisse illi

quod homicidii, haec quanti habenda sint, discimus e Cic. pro Fontei. 37: 'Ecquis unquam reus, praesertim in hac uitae ratione uersatus . . . sic accusatus est, ut nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudo, quae a lubidine aut a petulantia aut ab audacia nata esset, ab accusatore obiceretur, si non uera, at commode ficta cum aliqua ratione ac suspicione?' e. q. s.

Nam quid moetino subrectoque huic opu' signo?
multo difficilius intellegitur. Atque primum quidem pro *subiecto* quod est in codicibus recte dedit Scaliger *subrecto*: conf. Arnob. adu. gent. V 29 'hi phalli quos per rura, per oppida mos *subrigit* et ueneratur antiquus' conf. 28. Uersus hunc sequentes nondum plane emendatos nunc mitto. Recte uero si contendi libro II causam ab Albucio dictam esse narratam, accusator ludit hoc uersu in *moetinum signum* rei. Fascinum portabant infantes et pueri donec togam uirilem sumpserunt: hominum adultorum gestamen non fuit nisi triumphantium, ut ex Plin. XXVIII 39 patet: 'Quamquam religione tutatur et fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana Uestalibus colitur et currus triumphantium sub his pendens defendit medicus inuidiae' e. q. s. Macrob. I 6, 9. Sed apparet haec ad rem non pertinere: alia quaerenda sunt. Notum est familias singulas populi Romani signis siue insignibus esse usas nonnunquam deductis a praeclare gestis rebus, praecipue uero cognominum quae sint effigies: conf. Sueton. Calig. 35 'Uetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompeio stirpis antiquae Magni cognomen'. Multis certe in rebus antiqui adhibebant talia signa: notissima nobis signa singularum familiarum sunt in nummis incusa, ubi Furii Crassipedes pedem crassum, Publicii Malleoli malleum, Antistii Graculi graculum, Seruilii Gemini Castorem et Pollucem, Furii Purpureones muricem, Lucretii Triones stellas septem, similia aliae familiae habent insignia: conf. Mommsen in Mus. Rhen. XV p. 175. R. F. I p. 44. Marquardt Roem. Alterth. V 1 p. 16. Muciorum insigne quid fuerit antiquitus, nescimus: enim uero cognomen *Scaeuola* (*Scaeuula* fasti Capitolini) deducit Liuius II 13 a scaeua manu, hoc est sinistra similiter Plut. Poplic. 17 et omnes, qui Liuium secuntur: uerum totam illam de Mucii manu combusta narrationem esse absurde fictam post Niebuhrium (R. G. p. 606) multi dixerunt. At Uarro de l. L. VII 97 de *obscaenum* uoce docens: 'Potest uel ab eo quod puerulis turpicula res in collo quaedam suspenditur, ne quid obsit, bonae scaeuae causa *scaeuola* appellata. Ea dicta ab scaeua, id est sinistra,

quod quae sinistra sunt, bona auspicia existimantur'. Haec quam praeclare [1]) ad nostrum Lucilii locum referantur conciliata cum eis, quae de signis Romanorum supra exposui nemo non uidet. Porro caue credideris turpius esse illud signum quam ut adhiberi potuerit: quod in triumpho neminem offendebat hoc pro insigni usurpare hercle neminem pudebat. Fuisse autem membrum familiae insigne tabulae Heracleenses testantur CIG 5774, ubi sub finem u. 184 inscriptum est ϝε γυῖον Πεισίας Λεοντίσκω, tum u. 187 γραμματεὺς ϝε γυῖον Ἀριστόδαμος Συμμάχω. *Membrum* istis duobus uiris qui eiusdem tribus sunt ut ceteris alia insignia uelut τρίπους καρύκειον πέλτα praepositum nihil nisi fascinum significare potest (γυῖον pro pudendis muliebribus positum est Hom. hym. in Merc. 20 et Callim. hymn. in Dian. 25): alia enim membra praecipue cum de insignibus agatur praeter ueretrum suo nomine appellare nemo ueritus esset [2]). De fascini religione conf. O. Iahn Ber. d. saechs. Ges. d. Wissensch. 1855 p. 71.

Secuta est accusatoris orationem oratio rei, qui primo uenuste artes pueriles Albucii ludit uersibus illis:

Quam lepide λέξεις compostae, ut tesserulae omnes
arte pauimenti atque emblemate uermiculato!
Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis!

Porro Mucii uerba habeo u. 62 L 25 M

---

[1]) Illudit igitur Albucius in nomen et signum Scaeuolae, sicut Cic. in Uerr. I 121 II 19. 191 diu. in Caecil. 57 Uerris nomen irridet. Horatius sat. I 7 ubi Rupilii Regis et Persii iudicium narratur, sine dubio Lucilii exemplum sequitur: u. 35 Persius cognomen Rupilii ludit. Consideres in u. Luciliano ad *opus* uocabulum *erat* esse supplendum, si uerba sequentia inde ab *ut lurcaretur* ad illum u. pertinent: quod si rectum est, Albucius signum Scaeuolae in prouincia nescio cui rei impositum tum cum praetura fungebatur in iudicio derisui habuisse putandus est.

[2]) Multa hominum signa nominibus apposita inueniuntur in Francisci Carellii nummorum Italiae ueteris tabulis CCII quas edidit Cavedonius Lips. 1850 p. 112. tab. 195. Phallus portis Ferentini Arpini Aletrii Tarracinae ianuis aedium Pompeianarum aliarum affixus inuentus est: conf. Goettling, Gesch. d. roem. Staatsverf. p. 28. Etiam in anulis phallus insignis loco inuenitur: conf. Iahn. l. l. p. 74.

Quid dicis? cur est factum, quod coicis istuc?
quibus bene illum facit usurpantem iure consultorum uerbum *coicere*, h. e. *agere* [1]), *causam coicere*, ex lege XII tabularum, ubi est in tabula I: 'Rem ubi pacunt, orato. Ni pacunt, in comitio aut in foro ante meridiem caussam coiciunto. Com peroranto ambo praesentes. Post meridiem praesenti litem addicito'. Uersu igitur supra posito quaerit Scaeuola ex Albucio uera quae sit accusationis causa: ueram causam dicit esse iocum illum, quo luserit Athenis Albucium: sequitur magnum illud fragmentum in principio huius disputationis positum, quod praecessit opinor uersus 40 L 30 M:

– ⏑ ⏑ – fandum atque auditam iterabimu' f[amam]

quibus uerbis dicit sese rem iam diuulgatam sermonibus iterum relaturum.

Ea quae restant fragmenta partim tam perspicua sunt ut nulla explicatione egeant, partim ita corrupta, ut nil ad argumentum totius libri eruendum inde lucremur.

---

[1]) Nonius p. 267: 'Coicere, agere. Afranius Materteris: causam coicere hodie ad te uolo. Ambon' adestis? profuturos arbitror. Coicere, furari, auferre. Afranius Incendio . . . Lucilius lib. II quid dicis? cur est factum quod coicis istuc? — Nonius falso loco Lucilii exemplum posuit: debebat me iudice ponere ante lemma *Coicere, furari* ut pertineret ad lemma *Coicere, agere*.

IV. DE ARGVMENTO LIBRI XIII.

U. 377 L 14 M

adde Syracusis sola pasceolum matulamque

ubi codd. *pasceolum alutamen,* Dousa *pasceolumque et alutam*: sed *alutam* iuxta *pasceolum* positam tantum de materia corii intellegi potest, cum debeat de re quadam ex aluta facta, uelut de sandaliis[1]) similibus. *Aluta* litterae aperte ex lemmate: *pasceolus ex aluta sacculus* irrepserunt. Agitur hoc uersu de homine delicatissimo, quem Lucilius ludit arcessentem e locis longinquis quibus optime quaeque fiat res simplicissimas uelut soleas marsupium matulam, si recte conieci: certe nihil adhuc prolatum est, magis quod placeat. Talem hominem describit Theophr. char. 21 Ἀμέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι δεινὸς καὶ τίτυρον κτήσασθαι καὶ Σικελικὰς περιστερὰς καὶ δορκαδείους ἀστραγάλους καὶ Θουριακὰς τῶν στρογγύλων ληκύθους καὶ βακτηρίας τῶν σκολιῶν ἐκ Λακεδαίμονος καὶ αὐλαίαν ἔχουσαν Πέρσας ἐνυφασμένους κτλ. Tamen hoc libro non agitur de hominibus talibus ad pusilla ambitiosis, sed ut e ceteris fragmentis cernitur de sumptuosis et luxuriosis: itaque uersus ille pertinet ad helluones delicatissimi fastidii, qui terra marique conquirunt exquisitissima (conf. Uarro sat. 403 B Athen. VII p. 278 D), quales Arche-

---

[1]) Aliter Quid. a. a. III 271: '*Pes* malus in niuea semper celetur *aluta*': dici sandalium hoc loco sicut Mart. II 29, 8 cognoscimus e uoce *pes*, sicut l. l. u. 202 'Paruaque sinceras uelat aluta genas' debere intellegi splenium quod Mart. II 29, 10 dicit, indicatur uoce *genas* apposita. Aluta igitur nil nisi corium molle et delicatum posita sola significat.

stratus libro heduphagetica inscripto instituit. Uersui illi simillima compositione sunt inc. uu. 1090. 1091 L 96. 97 M

pistricem ualidam, si nummi suppeditabunt,
addas empleuron, mamphulas quae sciat omnis.

Quibus uersibus docetur quaenam opus sint ad rem domesticam bene instituendam: reminiscitur autem Lucilius ista dum scribit ni fallor aut Ennii aut Archestrati ipsius uersuum horum quantumuis in singulis diuersorum ap. Athen. III p. 112 C

ἔστω δή σοι ἀνὴρ Φοῖνιξ ἢ Λυδὸς ἐν οἴκῳ
ὅστις ἐπιστήμων ἔσται σίτοιο, κατ' ἦμαρ
παντοίας ἰδέας τεύχων ὡς ἂν σὺ κελεύῃς.

Animum aduertas enim mamphulam panis *Syriaci*[1] genus dici a Uerrio; Syris lecticariis ac Cappadocibus, quos optimos pistores Athenaeus l. l. appellat, utebantur antiqui propter robur eximium (Mart. IX 22, 9 VI 77, 4 Iuu. VI 351 Petron. 63). Archestrati Enniani sine dubio opera factum est, ut piscium tot nomina quorum 'in Graecia origo' (Uarr. de l. L. VII 47) apud Lucilium inueniantur: unum restat emendandum ap. Varr. l. l. inc. u. 836 L 53 M ubi codices

sumere et atque amian

Sume uocabulum egregie positum esset (Archestratus saepe λάμβανε λαβέ ap. Athen. VIII p. 311. 328 B et passim: Enn. heduph. 4 V.), sed ex *rete* nomen piscis elicere nondum contigit: itaque *rete* seruato scribo

_ ⏑ suem rete atque amian

scilicet capit uel capiunt. Sus nomen piscis est cuius origo aperte uox Graeca ὗς: de quo pisce Athen. VII cap. 131 ubi Archestratus Ἐν δ' Αἴνῳ καὶ τῷ Πόντῳ τὴν ὗν ἀγόραζε. Ouid. hal. 132 'Lolligo durique sues'. Porcus piscis nomen apud Plin. XXXII 19. 56. 150. Tum Archestrati uersum ap. Athen. IX p. 384 B

---

[1]) Aliud genus panis Syriaci λαχμάν dicitur uocabulo Syriaco ap. Athen. III p 113 C. — Ceterum semper fere *pistor* apud antiquos scriptores memoratur: cum his Lucilii uersibus conf. Dig. XXXIII 7, 12 § 5 ubi memorantur '*mulieres* quae panem coquant quaeque uillam seruent.'

καὶ σιτευτοῦ χηνὸς ὁμοῦ σκεύαζε νεοττόν
ὀπτὸν ἁπλῶς καὶ τόνδε

ubi σιτευτόν scripsit Archestrati editor W. Ribbeck[1]), rectius intelleges comparato Lucilii u. 1160 L V 19 M

anseris herbili' uirus.

Hic *uirus* pro fetore esse, hoc est pro ouo, docet Seruius, *herbilis* uocabulum significare anserem herbis pastum Paulus. Illic νεοττὸν ὀπτόν idem est quod ᾠοῦ ὀπτοῦ κροκόν ap. Theoph. Nonn. 46: uide enim quanto rectius oui mentio fiat quam pulli. Νεοττός· ἡ τοῦ ᾠοῦ λέκιθος καὶ τὸ πυῤῥόν Photius et Suidas explicant: conf. Mein. com. Gr. 4, 81. 427: similem significationem in u. Archestrati usu uenire ex Lucilii uerbis uerisimile est. Ὁμοῦ uocabulo planum est, agi de cibi praeparatione cui cum alia tum ouum anseris altilis assum addi iubetur, sicut torpedini elixae oui medium addi iubet Apicius IX 2.

Maxime uero ad ea quae primo posui duo fragmenta pertinet totus ille locus Cic. de fin. II 23: 'Mundos, elegantis, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, uenatione, his omnibus exquisitis, uitantis cruditatem, quibus uinum defusum e lino sit χρυσίζον ut ait Lucilius, cui nihil † dum sit uis et sacculus abstulerit, adhibentis ludos, . . . adsint etiam formosi pueri, qui ministrent; respondeat his uestis, argentum, Corinthium, locus ipse, aedificium' . . .[2]). Singula in huius libri fragmentis agnoscere possumus:

nam sumptibu' magnis
exstructam ampliter ac iucunde (*atque cum* codd.) accumbimu' mensam

idem epulo cibus atque epulae Iouis omnipotentis . . .

Iucunde quod proposui persaepe adhibetur in cenae lautae descriptione: Cic. ad Att. XIII 52 ex Lucilio: 'Edit et bibit ἀδεῶς et iucunde' e. q. s. Hor. sat. I 5, 70 'Prorsus

---

[2]) Archestrati Syracusii siue Gelensis reliquiae. Recognouit W. Ribbeck Berol. 1877 p. 19.

[2]) Tractaui haec uerba in libello seminarii Bonnensis anno 1881 edito p. 1. — Conf. inprimis coniunctiuum apud Ciceronem adhibitum similiter atque u. 1091 L inc. 97 M.

iucunde cenam producimus illam'. Uersum extremum non intellego ut Lipsius alii de lectisterniis Iouis, sed ambrosiae et nectaris instar esse cibum dicit Lucilius mea sententia: iocus saepe adhibitur apud Archestratum (Athen. III p. 111 F VII p. 303 E 505 E et passim) Matronem parodum (Athen. IV p. 136 A κάραβος, ἀστακὸς αὖτε, λιλαίετο θωρήσσεσθαι Ἐν μακάρων δείπνοις), Ζανὸς τρώγματα cibum quendam Philoxenus appellat apud Athen. XIV p. 643 B. De piscatu cenae exquisito agitur u. 378 L 8 M, de uasis pretiosis u. 382 L 5 M quem uersum collatum cum Cic. Mur. 75 ubi Aelius Tubero praetura dicitur esse deiectus, quia Samiis uasis similique apparatu exposito nimiam parsimoniam ostentans Aemiliani mortui in honorem populo epulum dedisset, recte intelleges. Haec omnia quamuis tenui filo inter se cohaerentia si recte explicaui, simili fuit argumento liber XIII atque Hor. sat. II 4.

U. 385 L 15 M

unu' modo de multis qui ingenio sit

Lucilius spectat ut opinor Homeri uerba de Tiresia inter umbras uanas sapiente uno (κ 495) sic mutata

οἶος πέπνυται· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι

quemadmodum adhibebantur in Chrysippum Stoicum (Laert. VII 183): Lucilii autem aetate uersus ideo notissimus erat, quod Cato Censorius eum in senatu de Aemiliano, Carthaginis obsessore dixit teste Plutarcho Cat. 27 Liuio per. 49 aliis.

V. DE ARGVMENTO LIBRI XIV.

U. 403 L 1 M:

ad regem legatu', Rhodum, Ecbatanam ac Babylonem
ibo, cercurum sumam.

Bouterwek de Lucilio satirico p. 9 alios secutus haec uerba arbitratur esse Lucilii ipsius negantis sese munus eiusmodi suscepturum: quod ineptum esse apparet uel inde, quod uerba tam distincta non possunt non spectare ad rem certam ac ueram: u. 527 L XXVI 16 M longe diuersus est. Dicuntur illa sine dubio a uiro summae dignitatis [1]) in republica, qui sese legatum populi Romani ad regem quendam, Rhodum, in Syriam esse iturum narrat ab eodem ni fallor consulari uel praetorio qui dicit u. 391 L 19 M:

Publiu' Pauu' mihi † Turbitanus quaestor Hibera
in terra fuit, lucifugus, nebulo id genu' sane.

Ut breuis sim, Lucilius hoc libro Scipionem induxit loquentem, quem a sapiente Lucilio scriptum esse et iustum et fortem tam Horatius dicit quam ex poetae ipsius fragmentis efficitur. Tangitur fragmento primo legatio illa Aemiliani qua totum fere orbem terrarum obiit persaepe a scriptoribus laudata. (Conf. de tempore huius legationis Muellerum fragm. hist. Gr. II p. XX.) Cic. Acad. II 5 'Africani . . . in legatione illa nobili quam ante (?) [2]) censuram obiit Panaetium unum omnino comitem fuisse'. De rep. VI 11 'Cum autem Karthaginem deleueris . . . et obieris legatus Aegyptum Syriam Asiam Graeciam' e. q. s. Posidon. ap. Plut. cum princ. esse philos I 12 Σκηπίων . . . ὅτε αὐτὸν ἡ σύγκλητος ἐξέπεμψεν 'ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα' (Clitom. ap. Plut. apophth.

[1]) Legatus enim populi Romani, de quo munere uide Mommsenum Roem. Staatsr. I p. 656, Lucilius Suessanus fieri nulla ratione potuit.

[2]) Recte Mueller fragm. hist. Gr. II p. XX statuit Ciceronem hoc loco errare Scipionemque post censuram anno fere 619/135 legationem illam suscepisse: argumentis ibi prolatis adde hoc, quod Plutarchus in apophth. Scip. min. optimis ille quidem fontibus usus legationis ante bellum Numantinum, post censuram Scipionis meminit.

Scip. min. 13. 14. Polyb. ap. Athen. VI p. 273 A. Val. Max. IV 3, 13 Aurel. Victor 58). Uectus est primum Alexandream ad regem Ptolemaeum Physconem Sp. Mummio et L. Metello comitibus (Iustin. XXXVIII 8, 8 Posidon. ap. Athen. XII p. 549 D). Diodor XXXIII 28[b] porro narrat: Οἱ μὲν οὖν πρεσβευταὶ κατασκεψάμενοι τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐπὶ Κύπρου κἀκεῖθεν ἐπὶ Συρίας τὴν ἀναγωγὴν ἐποιήσαντο. Καθόλου δὲ καὶ τὰ πλεῖστα μέρη τῆς οἰκουμένης ἐπῆλθον κτλ.

Itaque poeta Scipionem induxit hoc libro quasi degrumantem uiam: uerba *ad regem* equidem non rettulerim ad Syriae regulum [1]), sed ad Ptolemaeum illum, de quo multa Plutarchus Iustinus Posidonius ll. ll. qui de Scipione Alexandreae commorato narrant. Recte hos duo uersus ad librum XIV rettulit Mueller (uu. 821. 1168 L 3. 4 M):

Carpathium mare transuectus cenabi' Rhodi —

Carpathium Rhodus in pelagus se inclinat apertum

Uersu priore Scipioni, qui dixit sese Alexandrea Rhodum dein in Asiam legatum profecturum esse demonstrat uiam ab Alexandrea usque ad Rhodum nescio quis interlocutor illarum regionum gnarus[2]). Nam Philargyrius ad Uerg. georg. IV 387 haec adnotat: 'Carpathio, Aegyptio: Carpathos enim insula Rhodiorum. Alii sic. Carpathium *mare inter Rhodum et Alexandriam*, quod abesse (appellatum esse L, nomen habere M) dicitur a Carpatho insula. Ut Lucilius: Carpathium . . . Rhodi'. Itaque Aemilianus apud Lucilium narratur sane uoluisse Alexandrea Rhodum proficisci: quod fortasse Diodorus l. l. referre omisit, nam ueri simile est Scipionem fuisse Rhodi. Uidelicet inprimis hoc senatum mouit ut Scipionem legatum in illas regiones mitteret, quod piratarum incredibilis audacia qua nauigantes tum uexabantur maxime augebatur Aegyptiorum Cypriorum Syrorum Rhodiorum socordia et malignitate. Conf. Strab. p. 668 Τοῖς δὲ Κίλιξιν ἀρχὴν τοῦ τὰ

---

[1]) Quod interposito Rhodi insulae nomine refutatur. — Ceterum apud Plut. quoque apophth. Scip. min. 13 Ptolemaei nomen non memoratur: audit tantum ὁ βασιλεύς.

[2]) Fortasse Panaetius ipse, Aemiliani comes, cui notissimae sane erant illae regiones, inprimis Rhodus insula, cuius nomen ter occurrit.

πειρατικὰ συνίστασθαι Τρύφων αἴτιος κατέστη καὶ ἡ τῶν βασιλέων οὐδένεια τῶν τότε ἐκ διαδοχῆς ἐπιστατούντων τῆς Συρίας ἅμα καὶ τῆς Κιλικίας . . . Συνήργουν δ' εἰς ταῦτα καὶ οἱ τῆς Κύπρου καὶ οἱ τῆς Αἰγύπτου βασιλεῖς ἐχθροὶ τοῖς Σύροις ὄντες· οὐδ' οἱ Ῥόδιοι δὲ φίλοι ἦσαν αὐτοῖς ὥστ' οὐδὲν ἐβοήθουν· ἅμα δὲ καὶ οἱ λῃσταὶ προσποιούμενοι σωματεμπορεῖν ἄλυτον τὴν κακουργίαν εἶχον. Ἀλλ' οὐδὲ Ῥωμαῖοί πω τοσοῦτον ἐφρόντιζον τῶν ἔξω τοῦ Ταύρου, ἀλλ' ἔπεμψαν μὲν καὶ Σκιπίωνα τὸν Αἰμιλιανὸν ἐπισκεψόμενον τὰ ἔθνη καὶ τὰς πόλεις καὶ πάλιν ἄλλους τινάς, ἔγνωσαν δὲ κακίᾳ τῶν ἀρχόντων συμβαῖνον τοῦτο κτλ. Cum aliunde notum sit Scipionem fuisse et in Aegypto et in Syria et Cypri, Lucilii uersu collato cum eis quae Strabo tradit colligo etiam Rhodios [1]) eum adiisse. — Ceterum Ecbatana et Babylon regis Syrorum illo tempore non erant, cum Babylonia et Media iam antea a Parthorum rege Mithradate I expugnatae essent, qui usque ad Euphraten regni fines protulerat: conf. Iustin XLI 6 Oros. V 4, 16 Strab. p. 669. Mommsen R. G. II p. 61 [2]). Antiochus VI. Sidetes Pius Syrorum rex anno 624/130 cum initio Marte felici Babylonem recuperasset Parthisque praeter patrios fines terras omnes dempsisset, postremo a Prahate Parthorum rege uictus cecidit: (Iustin. XXXVIII 10 Diodor. XXXIV 15—17.) Adnotabo denique ad formam *Ecbatanam* praeter eum quem Mueller attulit locum, Ptolemai uerba VIII 21, 9 ἡ δὲ Ἐκβάτανα τὴν μεγίστην ἡμέραν ἔχει κτλ. atque Orosii V 10, 8 ubi eaedem duae urbes una appellantur sicut in uersu Lucilii: 'Iisdem temporibus [3]) Antiochus non contentus *Babylona atque Ecbatana* totoque Mediae imperio aduersus Phraatem Parthorum regem congressus et uictus est'.

---

[1]) Ex tempore belli Macedonici tertii multa exstitere populi Romani turbulenta cum Rhodiis negotia qua de re conf. Mommsen R. G. I p. 771—773 II p. 64.

[2]) Anno fere 616/138: conf. Mueller frag. hist. Gr. II p. XX Diodor. ed. Dindorf uol. V Lips. 1868 p. XXIV.

[3]) Scilicet inter P. Licinium cos. 623/131 et Aemiliani mortem anno 625/129 (Oros. l. l.). — Orosius etiam VI 4, 9 *Ecbatanam*, *Babylonam* et *Babylonâ* formas passim usurpat.

Deinde fragmentum illud mire uexatum est a uiris doctis:

Publiu' Pauu' mihi † Turbitanus (sic L 1; ceteri *Tubitanus*)
quaestor Hibera
In terra fuit, lucifugus, nebulo id genu' sane.

Gerlach ed. p. XLI *Pauus* putat esse nomen ioculare a pauonibus saginandis deductum — neglexit quae Plin. X 45 tradit — similiter Francken coni. cr. p. 72 iudicat. *Pauus* et iustum cognomen est sicut Anser Aquila Gallus Graculus Mergus Merula Noctua Parra Passer Pica Turdus [1]) alia et inuenitur recentior forma apud Uarr. d. r. r. III 2 *Fircellius Pauo Reatinus*. *Turbitanus* nondum emendatum est. Sine dubio Scipio hos uersus dicit, quod cum iam multi suspicati sint (conf. Francken l. l. et Gerlach l. l.), omiserunt conciliare cum hac opinione uu. 409 L 21. 22 M:

Si mihi non praetor siet additus atque agitet me,
non male sit: ille, ut dico, me exenterat unus.

Sit e cod. Paris. scripsit Eyssenhardt: producta uocalis est propter caesuram, conf. Mueller d. r. m. p. 327 Lucil. u. 279 L IX 70 M

crisabít, ut si frumentum clunibu' uannat.

Aperte sunt uerba quaestoris illius lucifugi de Scipione: quanta enim fuerit exercitus Romani segnitia et pigritia ante Numantiam et quantopere inertes Aemilianus castigauerit et puniuerit, constat ex multis scriptoribus (Liu. per. 57. Plut. apophth. Scip. min. 16—21 Appian Iber. 85. 86). Scipionem igitur dicit *praetorem* Pauus: fuit ille quidem consul iterum, sed praeses

---

[1]) Ad hanc seriem cognominum pertinet sine dubio cognomen Aebutiorum *Parrus*, quod Buecheler me monuit. Nam apud Liuium 42, 4, 4 recte traditum est in codice egregio Uindobonensi saeculi VI *ebutiumparrum*, quod editores non debebant corrigere Pighium secuti scribendo *Aebutium Carum* quia 39, 55, 8 rei criticae prae Uindobonensis fide ac uetustate fundamenta incertissima (Liu. ed Hertz uol. I p. XXXVI) praebent *Aebutius Carus*. Immo hoc ex Vindobonensi corrigendum est. Parus, cuius forma antiquior *Parrus* esse uidetur (conf. *Parra* nomen) nomen auiculae est, de quo conf. lexica. — Hoc scire uolui criticum superciliosum in libri Deutsche Litteraturzeitung fasciculo die Ianuarii XIV huius anni edito, qui codicum eam quam debuit rationem habere omisit.

prouinciae etiamsi proconsul uel consul est saepenumero *praetor* dicitur: conf. Mommsen Roem. Staatsr. I p. 230. Accedit aliud. *Praetor* enim idem significare quod *dux* uocabulum ueteres saepe et nostri saeculi uiri docti dixere quorum testimonia contulit Mommsen l. l. p. 71. Sed Aemilianum maxime omnium praetorem appellatum esse consentaneum est, quod cohortem praetoriam bello Numantino consul iterum condidit primus: conf. Fest. ep. p. 223: 'Praetoria cohors est dicta quod a praetore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent' e. q. s. (Appian. Iber. 84). Idem Scipio dicitur libro XI, ubi de rebus Hispanicis agitur u. 363 L 6 M

. . . praetor noster adhuc, quam spurcos ore quod omnis
extra castra ut stercu' foras eiecit ad unum

Quae quidem uerba cum Appian. Ib. 85 Ἐλθὼν δὲ ἐμπόρους τε πάντας ἐξήλαυνε καὶ ἑταίρας καὶ μάντεις καὶ θύτας recte contulit Bouterweck de Lucil. satir. p. 6, qui tamen de uoce *praetor* omisit quaerere: dicit esse ea uerba querentium Scipionem omnina scorta omnes sacerdotes et haruspices ex castris eiecisse, tacet de scriptura uersuum (codd. *spurcus*, corr. L). Spurcus ore uocatur ganeo, ut Cic. in Pis. 13 in Uerr. III 23 aut fellator sordidissimaeque libidinis homo (Mart. XI 30, Petron. 9. 21); uerba sunt laudantis potius Scipionem, quae ita fere suppleueris: 'Nulla re magis rebus nostris afflictis profuit praetor noster' e. q. s. Illam uero castrorum purgationem amplius describit Plut. apophth. Scipion. min. 16 Liu. per. 57 [1]) Ual. Max. II 7, 1 alii. Ad easdem res Hispanicas pertinet u. 395 L XIV 12 M

cenam, inquit, nullam, neque diuo proseciam ullam

Appianus enim l. l. narrat: Ἐλθὼν δὲ ἐμπόρους τε πάντας ἐξήλαυνε καὶ ἑταίρας καὶ μάντεις καὶ θύτας, οἷς διὰ τὰς δυσπραξίας οἱ στρατιῶται περιδεεῖς γεγονότες ἐχρῶντο συνεχῶς· ἔς τε τὸ μέλλον ἀπεῖπε μηδὲν ἐσφέρεσθαι τῶν περιστίων (sic Nipperdey: codd. περισσῶν) μηδὲ ἱερεῖον ἐς μαντείαν πεποιημένον.

VI. CHRONOLOGICA.

Temporum rationem quibus Lucilius saturis scribendis operam dederit. cum in eis quae antea exposui noua argumenta attulisse mihi uidear, paullo accuratius quam Bouterwek de Lucil. sat. p. 8 Iltgen Lucilianorum p. 22, qui rem a Lachmanno bene inchoatam plane peruertit, Mueller edit. p. X et p. 297 conabor explicare.

Lucilius natus circiter anno 574/180, mortuus anno 651/103 (Mueller edit. p. 289) reliquit saturarum libros XXX, quos in tria uolumina dispertitos esse contra editores nouissimos statuo, Lachmannum et in hac quidem re eius sectatorem Muellerum, qui duo uolumina antiquitus fuisse sumant. Atque recte quidem Lachmann statuit (Kl. Schr. II p. 62) Nonium duobus uoluminibus esse usum, quorum alterum libros XXV inde a primo complectens adhibet cum dicit *Lucilius satyrarum libro*, altero libros omnes XXX continente utitur cum simpliciter scribit *Lucilius libro* (Mueller edit. p. XVIII). Tamen sicut uolumen posterius Lucilii non ex V libris continentibus constat sed librum XXX μονόβιβλον esse multi dixerunt recte (Schoenbeck apud Corpetum edit. p. 197 Mueller edit. p. IX), ita Nonii uolumen prius libros I—XXV continens diuidendum est in duo uolumina quorum alterum saturas I—XXI complectitur. Quod uolumen inprimis lectitabatur eoque utebantur solo grammatici fere omnes praeter Nonium in locis Lucilianis afferendis. Gellius Uarronis compilator hoc uolumine usus est, laudat libros I—XX tantum (cur e libro XXI omnino nihil seruatum sit non liquet) et Uarro ipse sine dubio idem hoc dicit d. l. L. V 17 ʿA qua bipartita diuisione

Lucilius suorum *unius et uiginti* librorum initium fecit hoc'. (U. 1 L I 1 M). Ubi quominus *quinque et uiginti* cum Lachmanno corrigatur impedit uel id quod cum libri XXI omnes conscripti sint heroico metro libro XXII manifesto erant uersus elegiaco metro compositi: itaque uel metro liber XXII et sequentes a prioribus secernuntur. Saturas autem qui postea scripsere Lucilium imitantes heroico tantum uersu usi sunt, quo etiam Lucilii saturas esse compositas Acro ad Hor. sat. I 4, 7 [1]) et Ioann. Lyd. de mag. I 41 scribunt cetera metra quibus usus est poeta non curantes. Neque uero tria haec uolumina secundum temporum rationem disposita sunt, sed ut Lachmannus recte posuit libri inde a XXVI priores tempore sunt antecedentibus. Argumentum quidem illud, quod Mueller edit. p. IX affert mihi dubium uidetur et parum certum.

Liber I ut supra uidimus post Carneadis mortem h. e. post annum 625/129 uel 626/128 compositus est. Atqui Horatius sat. II 1, 63 sqq. dicit

Quid? Cum est Lucilius ausus
primus in hunc operis componere carmina morem . . .
. . . num Laelius et qui
duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen
ingenio offensi aut laeso doluere Metello
Famosisque Lupo cooperto uersibus? e. q. s.

Aemilianus autem obiit eodem anno quo Carneades Tuditano et Aquillio coss. (Cic. de nat. deor. II 14) nec multo post Laelius (conf. interpp. ad Cic. Lael. 104): ergo qui Lucilii saturas potuere probare hi uiri, si iam ante primam editam decessere? Quominus Horatium dicas errare [2]) prohiberis non tantum ipsius insigni doctrina sed etiam his Cic. de fin. I 7: 'Nec uero ut noster Lucilius recusabo quominus omnes mea

---

[1]) Acro l. l.: 'Illi enim iambicis usi in [codd. quasi] comoediis, Lucilius heroicis.' Intellegendum est *pedibus numerisque*, ad quae uerba Horatii scholion adscriptum est. Conf. Porphyr. et commentator Cruq. a. h. l.

[2]) Teuffel Gesch. d. roem. Lit.[3] 143, 3 Horatium putat haec neglegentius locutum esse.

legant. Utinam esset ille Persius! Scipio uero et Rutilius multo magis, quorum ille iudicium reformidans Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere'. Itaque statuendum est primum, neque Scipionem neque Laelium uidisse saturarum libros XXI priores ordine, sed fuisse aliud corpus saturarum quod illi legerint et probarint, deinde hoc corpus non posse non esse libros XXVI—XXX. Nam ut supra expositum est libro XXVI de nouae suae poeseos ratione Lucilius agit quasi ad scribendas saturas primum aggrediens. Liber igitur XXVI omnium primus compositus est. Quando uero Lucilius coeperit saturas scribere, apparet uu. XXVI 612. 572 L 10. 57 M

hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat:
percrepa pugnam Popilli, facta Corneli cane [1]).

Tanguntur aperte res ante Numantiam gestae. Cornelius Scipio Numantiam euertit anno 621/133: reuertit igitur Lucilius cum imperatore eodem anno, anno 622/132 currum triumphantis secutus est cum exercitu uictore. Non errabimus, si anno 623/131 librum XXVI editum esse ponemus, quia certa uestigia in illo libro extant quibus ad res anno 623/131 gestas deducimur.

Recte si disputauimus, necesse est insit libris XXVI—XXIX — tricesimum enim secernero malo — et Lupus laesus et Metellus secundum uerba Horatii. Ac Lupus quidem ut malus iudex carpitur libro XXVIII 692 L 3 M: de Metello Acro ad Hor. sat. II 1, 67 et 72 cui satis scientiae fuisse supra iam uidimus, loco priore adnotat: 'Metello: Macedonici filio', loco posteriore, cuius partem exscripsit Mueller edit. p. 172 Q. Caecilium Metellum Macedonicum, Scipionis inimicum a Lucilio laesum esse dicit. Metellum Caprarium Macedonici filium a poeta irrisum esse probauit Schmidt de libro IX Lucilii p. 8 (conf. Mueller edit. p. 223) neque ego reprobo: puto autem Caprarium laesum esse potius in libris ordine prioribus, quia fragmenta quae ad illum referuntur a doctis, in libris illis inueniuntur (Schmidt l. l.). At in eis libris quos

[1]) Hunc uersum in castris ante Numantiam esse scriptum quo Musam alloqueretur Lucilius Mueller arbitratur edit. p. X et 249.

Scipio uidit Macedonicum ipsum a Lucilio increpitum esse ad u. 72 idem scholiasta certe hoc loco doctissimus — nam illam de Lucilio Scipionem mappa feriturо narratiunculam fingere non potuit (conf. Cic. de or. II 22) — tradit his uerbis: 'Caecilius Metellus consularis. Hic III filios consulares uidit et ab ipsis elatus est . . . Potens fuit temporibus Scipionis Africani . . . Lucilius eum in gratiam Scipionis carpsit'. Ante *filios* inserui *III*, conf. Cic. de fin. V 82 'Q. Metellus qui tres filios consules uidit, . . quartem autem praetorem' e. q. s. Ual. Max. VII 1, 1 '(Fortuna) fecit ut (Q. Caecilius Metellus Macedonicus) eodem tempore tres filios consulares . . . et quartum praetorium uideret'. Plin. VII 142 Uell. I 11 Cic. Philipp. VIII 14 Brut. 81. 212. Scipionis aduersarium eum fuisse tradunt Cic. de rep. I 31 de am. 77 de off. I 87 Ual. Max. IV 1, 12 Plut. apophth. Metelli 3 [1]). Nec Lucilius qua fuit ingenii natura Metellum Macedonicum non laedere potuit. Librum XXVI anno 623/131 scriptum esse posui: quod si obseruamus multo maius pondus inest profecto omnibus libri illius uersibus, quibus de uxorum molestiis agit poeta, praecipue conf. uu. 603. 604. L. 88. 89 M:

homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque aerumnam offerunt,
ducunt uxores, producunt, quibus haec faciant, liberos.

Animaduertas enim, Macedonicum illum censorem anno ipso 623/131 censuisse, 'ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum causa' ut Liu. per. 59 tradit: dein pergit: 'Exstat oratio eius quam Augustus Caesar, cum de maritandis

[1]) Censores ambo anno 623/131 Aemiliano inimici fuere et Metellus Macedonicus et Q. Pompeius Rufus (apophth. Scip. min. 8): itaque etiam Lupus ab his princeps senatus lectus a Scipionis parte non erat. Totus enim senatus in duas partes discissus erat: conf. Cic. de rep. I 31: 'Quid enim nepos . . . non quaerit cur in una republica duo senatus et duo paene iam populi sint? Nam, ut uidetis, mors Ti. Gracchi et iam ante tota illius ratio tribunatus diuisit populum unum in duas partis, obtrectatores autem et inuidi Scipionis initiis factis a P. Crasso et App. Claudio, tenent nihilo minus illis mortuis senatus alteram partem dissidentem a uobis auctore Metello et P. Mucio' e. q. s.

ordinibus ageret, uelut in haec tempora scriptam in senatu recitauit'. Conf. Suet. Aug. 89 'Libros totos et senatui recitauit et populo notos per edictum saepe fecit, ut orationes Q. Metelli de prole augenda'. Gell. I 6: 'Multis et eruditis uiris audientibus legebatur oratio Metelli *Numidici*, grauis ac diserti uiri, quam in censura (anno 652/102) dixit ad populum de ducendis uxoribus, cum eum ad matrimonia capessenda hortaretur'. Ubi Gellium errasse et *Macedonici* scribendum esse uerisimile est, necessarium non est: conf. Meier or. Rom. frgm. p. 95. 137. Nulla fortasse res magis Lucilium impulit ut saturas scriberet quam illa Macedonici oratio, eius censoris qui Lupum principem senatus legit eodem anno quo Lucilius librum primum (i. e. XXVI) composuit 623/131. Etenim in omnibus Lucilianae poeseos partibus elucet quantopere Lucilius uxores oderit, amicas amet uelut librum XVI post annum 644/110 aliquanto editum de Collyra amica sua scripsit annos natus supra LXX, (conf. libro XI *Iugurthini pater huius* et Mueller p. 232 edit.). Similem εὐθυῤῥημοσύνην prae se fert in eis quae de Hymnide et Cretea (*Cratea* conieci) narrat libris ordine posterioribus. Contra uxorum mores perfidos et improbos scripsit libro XXVI, inprimis libro XXX, quem ex 'libro aureolo Theophrasti de nuptiis' (Senec. frg. 47 Haase) exscriptum credideris, tanto uxorum odio flagrat. (conf. Gerlach edit. p. LXXXIII Corpet p. 197); de puerorum et amicarum amore libro XXIX p. 116 edit. Mueller., et sic passim per omnes saturas, uelut VII VIII XV 446 L 35 M:

cum tecum est, quicquid satis est: uisuri alieni
sint homines, spiram pallas redimicula promit.

Singulos uersus exscribere longum est: si libros XXVI [1]) et

---

[1]) Ad eandem Metelli de ducendis uxoribus orationem refero XXVI 599 L 15 M ex Nonio p. 351 quem locum sic suppleuerim: 'Mutare, derelinquere. Uirg. [Georg. lib. II: exilioque domos et dulcia limina mutant. Lucilius] lib. XXVI: mihi quidem non persuadetur, publice mutem meos'. *Publice* Mercer *publices* et *pulices* codd. ubi *s* uocis *meos* similitudine appositum est. *Meos*, scilicet mores: amicarum amores matrimonio praefert poeta. — Uergilii uersus quem excidisse puto est Georg. II 511.

XXX scriptos illo quo dixi lustro, perlegeris accurate ipse inuenies uxorum mores prodigos et dolosos castigatos neque dubitabis quin etiam in hac re Lucilii imitatores sicut in insectatione poetarum rhetorum Stoicorum inuentorem presse secuti sint: Horatius altera libri primoris Iuuenalis famosa illa sexta satura. Concedes denique, ut erat Lucilii animus, in hoc genere nihil fuisse tum aptius quod satura laceraret quam Macedonici illam de ciuibus uxores ducere cogendis orationem eamque cum id genus tractaret tetigisse Lucilium utique. — Eis quae modo exposui illa ob quam Mueller edit. p. 297 retractationem saturarum finxit difficultas apte expedita est. Itaque libri XXVI—XXIX et fortasse una XXX Scipione Laelioque uiuis scripti sunt annis 623/131 624/130 625/129 [1]) cum Cornelius Lupus princeps senatus Metellus Macedonicus censor esset. Post Scipionis mortem (anno 625/129) longius interuallum scribendi poeta fecit: neque enim libros XXIX et XXX cum in hoc de ducendis uxoribus agatur longius remouerim ab anno 623/131 uel 624/130 neque tres tantum libros a Scipione cognitos dixerim.

Libro I agitur de interitu Lupi: Lupum mortuum esse certum est intra annos 626/128 exeuntem et 629/125 ineuntem, si recte supra disserui, anno 628/126, si meam de tempestate illa coniecturam reprobas, fortasse anno 627/127, nempe hoc non multum differt. Satura tota friget ac torpet nisi si Romae est statim post mortem Lupi et scripta et edita, sicut Senecae ludus de morte diui Claudii statim post mortem Caesaris editus esse putandus est. Itaque apparet puto librum I Romae editum esse anno fere 628/126.

Libro II iudicium Albucii et Mucii celebratum esse supra probaui: quod reuera factum est anno 634/120 cum Mucius anno 633/121 praetor Asiae prouinciae fuerit. (Cic. de or. II 269). Itaque cum nihil magis cauendum esse uideatur comico aut satirico quam admodum ὑστερίζειν τῶν πραγμάτων, circa annum 635/119 librum alterum esse scriptum sumo. Librum XI circa annum 644/110 sequentem scriptum esse

---

[1]) Lucilium intra tres annos tam multa scripsisse ne mireris 'in hora saepe ducentos . . uersus dictabat stans pede in uno'.

multi monuere (Mueller edit. p. 288) afferentes uersum illum:

Quintus Opimius ille, Iugurthini pater huius

conf. Buecheler proem. Bonn 1877 p. 6: Lucilium denique post annum 647/107 saturas scripsisse euincit Cic. Brut. 160, qui de L. Licinio Crasso: 'ita tacitus tribunatus, ut nisi in eo magistratu cenauisset apud praeconem Granium idque nobis bis narrauisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse'. Porro 161: 'Omnibus quidem aliis, inquam, in magistratibus (sc. Scaeuola Crassi collega fuit), sed tribunus anno post fuit eoque in rostris sedente suasit legem Seruiliam Crassus'. Lex Seruilia anno 648/106 lata est: conf. Mommsen R. G. II p. 129. Ergo Lucilius post annum 647/107 quo Crassus tribunus erat tres extremos certo libros composuit: neque enim in eodem libro bis Granii cenam narratam esse credibile est neque in duobus continuis. Sed cur inter librum I et II ab anno 628/126 usque ad annum 635/119 Lucilius saturas non scripsit?

C. Lucilius Suessae Auruncae natus est [1]), genere diuite (Hor. sat. II 1, 75 ibique scholl). Suessa oppidum quotannis praeter pedites circiter LX equites populo Romano dabat (Liu. XXIX 15, 5), inter quos sine dubio Lucilius quondam erat, cum prima stipendia merebat: nam annos natus XLVI anno 620/134 Scipionem in Hispaniam secutus est eques

---

[1]) Lucilius sine dubio caelebs uixit ad summam senectutem, si eius reliquias recte intellego. Itaque etiamsi Romae domum habuit (Mueller edit. p. 171) ciuis Romanus fieri non potuit, quod eis tantum liceret, qui stirpem ex se domi reliquissent. Conf. Liu. 41, 8, 9 atque omnino de sociis nominis Latini in urbe commorantibus Liu. 39, 3, 4 ibique interpretes et 25, 3, 16. Contra Lucilii frater et ciuis Romanus fuit et senator, cuius filia Lucilia ('stirpis senatoriae' Uell. II 29) Cn. Pompei Strabonis uxor Cn. Pompei Magni mater facta est. Recte igitur Acro ad Hor. sat. II 1, 75: 'Infra Lucili censum. Ideo quia fertur Lucilius maior auunculus fuisse Pompei Magni'. Contra Porphyrio ad l. l.: 'Constat enim Lucilium auunculum (omisit cod. M) maiorem Pompei fuisse. [Etenim auia Pompei Lucilii soror fuerat.] Uerba ea quae seclusi uncis, falsa sunt ut ex Uellei loco apparet et scholiastae ingenio debentur quid auunculus maior sit perperam et intempestiue explicantis.

(Uell. II 9) et diuites equo merere solebant. Atque Lucilium equitem fuisse ex reliquiis cognoscere licet: nam de equis et saepe narrat et ut homo rei equestris peritissimus: uelut libro XIV:

ipse ecu' non formosu', gradarius, optimu' uector
*qui campos collesque gradu perlabitur uno
libro VIII
si omne iter euadit stadiumque accliue tolutim
libro XV
hunc milli passum qui uicerit atque duobus,
Campanus sonipes succussor nullu' sequetur
maiore in spatio ac diuersu' uidebitur ire.
inc. 1139 L 79 M
uelle tolutim hic semper iter coepturu' uidetur [1]).

Quae ab homine equorum peritissimo et amantissimo scripta sunt. Itaque Lucilius non fuit ciuis Romanus sed peregrinus neque uoluit haberi Romanus cum aperte profiteatur libro XXVI 'Publicanus uero ut Asiae fiam scripturarius pro Lucilio, id ego nolo et uno hoc non muto omnia'. Iam apparet Lucilii saturam qua primores arripuit populumque tributim nisi Romae non potuisse aut scribi aut diuulgari. Atqui uidimus inter annum 628/126 et 635/119 i. e. librum I et II Lucilium nihil saturarum scripsisse: nam intra corpus ordine primum libros singulos secundum temporum rationem esse dispositos uel idcirco credendum est, quod Lucilium ipsum illud corpus disposuisse et edidisse patet e Uarronis uerbis: 'a qua bipartita diuisione Lucilius suorum unius et uiginti librorum initium fecit hoc': quae Uarro non scripsisset, si grammaticum XXI libros Lucilii diuisisse et edidisse scisset. Cur Lucilius nihil tum scripserit, ea causa est, quod inde ab anno 628/126 non erat Romae. Nam anno ipso 628/126 M. Iunius Pennus tr. pl. legem tulit qua peregrinos ex urbe exterminaret. (Cic. de off. III 47 Brut. 109. Mommsen R. G. II p. 102). C. Gracchus absens fuit illo anno quaestor Aurelii consulis in Sardinia magna cum uoluptate aduersariorum (Plut. C. Gracch. 1), qui dolose eum etiam in annum

---

[1]) Adde u. 72 L III 33 M: succussatoris taetri tardique caballi.

sequentem ab urbe remouebant consuli in Sardinia manendum esse rogantes. C. Gracchum dissuasisse Penni legem oratione quam de ea lege et de peregrinis ab illo habitam esse Festus p. 286 auctor est, antequam in prouinciam abierit, uiri docti statuunt: quod reprobo [1]). Nam aduersarii tantopere gauisi Gracchum urbe prohiberi (Plut. l. l.) sine dubio callide exspectauerant dum ille proficisceretur. Quod ipsum in uerbis Ciceronis Brut. 109 agnosco: 'M. Pennus *facile* (ita cod., facete editt.) agitauit in tribunatu, C. Gracchum paullum aetate antecedens[2]). Fuit enim M. Lepido L. Oreste consulibus quaestor Gracchus, tribunus Pennus' e. q. s. *Facile* nimirum, quia Gracchus absens negotium ei non facessiuit. Anno 630/124 Gracchus biennium in prouincia moratus (Gell. XV 12) iratus quod fallaciis optimatium Roma prohiberetur in urbem rediit (Plut. C. Gracch. 2) multasque orationes habuit (Plut. l. l. et 3. Gell. l. l. Meier or. Rom. frgm. p. 117. 118), inter quas pono illam de lege Penni et peregrinis: hanc enim legem abrogatam esse Gracchi auctoritate illo anno apparet ex Plut. l. l. 3: Ὁ δὲ . . . εὐθὺς ἐπὶ δημαρχίαν ὥρμησε . . . ὄχλου δὲ τοσούτου συῤῥέοντος εἰς τὴν πόλιν ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ συναρχαιρεσιάζοντος, ὡς πολλοῖς μὲν οἰκήσεις ἐπιλιπεῖν κτλ. Anno autem 632/122 ὄχλου . . πανταχόθεν αὐτῷ συνιόντος ἔπεισεν ἡ βουλὴ τὸν ὕπατον Φάννιον ἐκβαλεῖν τοὺς ἄλλους πλὴν Ῥωμαίων ἅπαντας κτλ. (l. l. 12) Appian. b. c. I 23: ἡ βουλὴ διαταραχθεῖσα τοὺς ὑπάτους ἐκέλευσε προγράψαι μηδένα τῶν οὐ φερόντων ψῆφον ἐπιδημεῖν τῇ πόλει μηδὲ προσπελάζειν ἀπὸ τεσσαράκοντα σταδίων παρὰ τὴν ἐσομέ-

[1]) Unde probari possit C. Gracchum antequam in prouinciam abierit orationem illam habuisse non uideo. — Statuerim ego quidem sic: Cornelius Lupus mortuus est uere anni 628/126 cum illa quam Obsequens memorat tempestas erat: statim post eius mortem saturarum librum I Lucilius edidit. Post discessum Gracchi in Sardiniam senatus per legem Penni peregrinos inter quos et poeta fuit ex urbe eiecit. Quam diu ista lex ualuerit, num ante reditum Gracchi anno 630/124 factum abrogata sit, nescimus: ueri simile tamen non est. Conf. Fischeri Zeittafeln ad annum 628/126. Meier or. Rom. fragm. p. 117. 116.

[2]) Ante *C. Gracchum* uerba comma posui Bucchelero auctore.

νην περὶ τῶνδε τῶν νόμων χειροτονίαν. C. Graccho interfecto nihil iam opus erat talibus Italorum eiectionibus cum nobiles uictores euasissent, et anno 634/120 exeunte Lucilius Romae interfuit sine dubio Mucii repetundarum causae. Inde ab anno 635/119 senex (Hor. sat. II 1, 34) LXI annos natus saturas ab altero libro usque ad XXI (XXV?) scripsit[1]).

---

[1]) Intra tria uolumina Lucilius libros ipse ordinauit ut supra uidimus, ipsa uolumina temporum ratione neglecta sic disposuit opinor grammaticus fortasse secundum metrum, ut primum constet heroicis uersibus, alterum distichis, uersibus τοῦ γένους διπλασίου ex maiore parte tertium.

VII. DE DEDICATIONE LIBRORVM AD STILONEM QVAE FALSO SVMITVR.

Postremo uno uersu Lucilium priuaturus sum neque opinor inuitum: est enim omnium quos noui Lucilii, immo Latinorum uersus pessimus. Legimus in editoribus et Cornificii IV 18 et Lucilii 1012 L I 3 M 'Et si uerborum traiectionem uitabimus, nisi quae erit concinna, qua de re posterius loquemur, quo in uitio est Lucilius assiduus ut haec est in priore libro: Hás res ád te scríptas Lúci mísimus Aeli'. Multa in his uerbis me uehementer offendunt. Primum qui potuit fieri ut Cornificius diceret 'in priore libro', cum sint uel tria uolumina uel triginta libri Lucilii? Nam quod Acro ad Hor. sat. II 1, 22 habet 'in priore libro etiam Lucilius', a C. F. Hermanno Lucilii nomen recte deletum est (conf. Mueller edit. p. 167). Dein ut fuerit Lucilius durus componere uersus, iste tam foedus est hexameter, ut ego uel trochaicos numeros fingere malim. Quod idem uiri docti Lachmann[1]) Mueller Dziatzko alii intellegentes uerba multifariam transposuerunt: quae emendandi conamina enumerare non refert, cum nihil in re critica periculosius sit transpositionibus. Tum cur omnino poetam appellauit Cornificius in traiectionibus castigandis? Nemo poeta uerba non traicit neque in uersu Lucilii ulla paret audacia cum scribit 'Luci misimus Aeli': conf. Ennii uersus apud Cornif. l. l.

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti

Adferre debuit rhetor scriptorem sermonis pedestris. Atqui *Lucilius* in codice nullo inuenitur: deteriores *Cecilius* praebent, op-

[1]) Kl. Schr. II p. 65.

timi *Coelius Caelius Celius*[1]), unde etiam in uerbis a Cornificio subscriptis natum est in uno codice π Kayseri illud *Coeli* pro *Aeli*. Sola editio Cratandrea habet *Lucilius*. Sed recte codices *Coelius*: Antipatrum enim significat Cornificius, quem uerba immodice traiecisse ut rhythmicam orationem efficeret e fragmentis amplius probarem, nisi Cicero Cornificii memor id ipsum dilucide traderet. Itaque sufficit Coelii belli Poenici posterioris unum subiungere fragmentum apud Non. p. 89 'Ipse regis eminus equo ferit pectus aduorsum' e. q. s. Tradit autem Cic. or. 229: 'Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile faciamus, *ne aut uerba traiciamus aperte*, quo melius aut cadat aut uoluatur oratio; quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici nisi necessario facturum negat. O uirum simplicem, qui nihil nos celet, sapientem, qui seruiendum necessitati putet. Sed hic omnino rudis; nobis autem in scribendo atque in dicendo necessitatis excusatio non probatur. Nihil est enim necesse et. si quid esset, id necesse tamen non erat confiteri. Et hic quidem, *qui hanc a L. Aelio* (sic. Popma: codd. et editt. Laelio), *ad quem scripsit*, cui se purgat, ueniam petit, et utitur *ea traiectione uerborum* et nihilo tamen aptius explet concluditque sententias'. Apparet igitur Coelium ut orationem numerosam[2]) efficeret, qua de re toto illo loco Ciceronis agitur, traiectione aperta usum esse, neque iam mirabimur uerbis illis apud Cornificium

has res ad te scriptas Luci misimus Aeli

---

[1]) Sic tota prima familia codicum, quam 'solam pro fundamento genuinae scripturae in uniuersum habemus' (Kayser in edit Cornif. p. XVII). In codd. huius familiae optimis Parisino p est *Coelius*, in Parisino π et Herbipolitano h. *Caelius*, in Erfordiensi et Emmerano μ *Celius*. Sic etiam codd. Turicensis t Vossianus vo 2 Rhedigeranus ρ 1. Codices deteriores multi habent *Cecilius*, quos enumerare inutile est, quia illa lectio nullius pretii.

[2]) Conf. frg. apud Non. p. 80: 'Tántum bellum súscitare cónari aduersários cóntra bellosúm genus'. Etiamsi cod. Guelferb. habet *Cecilius*, tamen uerba ita scriptorem belli Hannibalici redolent, ut cum ceteris codd. Nonii Coelio tribuantur rectius. Aliter de his uerbis iudicat W. Sieglin in annal. Fleckeis. XI supplem. p. 9.

hexametrum effici malum; rythmus tamen mihi uidetur esse trochaicus. Librum Antipatri ad L. Aelium Stilonem Metelli Numidici amicum missum esse sicut Popma coniecerat non ad Laelium, ut putant Peter Sieglin alii, hac demum disputatione probatum est. Lucilium uero ad Stilonem librum misisse ideo credi non potest, quod hic Metelli Numidici familiaris intimus erat (Sueton. de gramm. 3), Lucilius Aemiliani qui non tantum Macedonico infestus erat, sed toti eius familiae (Cic. de or. II 267), cuius Numidicus affinis. Coelius autem Scipionibus non uidetur fauisse: nam Africano maiori laudem patris apud Ticinum seruati eripit solus ac delegat ad seruum natione Ligurem (Liu. XXI 46, 10), id quod ad Aelium eum malim credere scripsisse quam ad Scipionum amatorem summum C. Laelium. Polybius (X 3, 2) enim tradit Laelium maiorem ipsum scripsisse a Scipione in pugna ad Ticinum seruatum esse patrem. Conf. etiam Sieglin in Fleckeis. annal. XI supplem. p. 76. Uerba *in priore libro* si certum esset quod Sieglin l. l. 41. 70. exposuit duo opera a Coelio scripta esse referret aliquis ad opus tempore prius quo bellum Punicum ab eo narratum esse ille suspicatur: quod uix fieri posse me monuit Buecheler. Itaque locum Cornificii sic censeo legendum esse: 'quo in uitio est Coelius assiduus, ut haec est (sc. traiectio):

'In priore libro has res ad te scriptas Luci misimus Aeli'.

Scriptores Romani qui liberae rei publicae temporibus floruere cum locos ex aliis scriptoribus exscribebant, auctorum nomen adscribere satis habebant: accurate indicare cuius libri uerba essent, tunc nondum in usu erat.

VITA.

Fridericus Marx Friderici f. matre e gente Platt, fidei euangelicae natus sum Bessungae uico Darmstadtio urbi adhaerente anno huius saeculi LIX mensis Aprilis die XXII. Anno LXIX gymnasii urbis patriae discipulus factus sum, cuius classes omnes percurri magistros egregios nactus uiros, quorum benignitatis qua in me erant semper memor erit animus. Inprimis quidquid sum uiro debeo insigni humanitate praedito, **Carolo Sell**, phil. doctori, uerbi diuini in urbe patria ministro, nunc senatus ecclesiastici consiliario, qui cum multis tum mihi, qui puerulus VI annorum patre orbatus essem, et uitae et studiorum moderator beneuolentissimus adiutor sincerissimus fuit, ut neque dictis neque factis unquam satis dignas ei gratias me agere posse confidam. Auctumno anni LXXVII maturitatis testimonium consecutus Gissas me contuli, ubi per ter sex menses philologicis studiis operam dedi: uere anni LXXIX hanc sedem litterarum adii, ubi per tres annos et sex menses philologiae et archaeologiae fui studiosus.

Docuerunt me uiri clarissimi Bernays, Birlinger, Buecheler, Clemm, Kekulé, Leo, J. B. Meyer, Oncken, Philippi, Schulthess, Usener, Vullers, Weiland. Ut in seminario philologorum Gissensi essem, insigni Clemmii et Philippii beneuolentia factum est, ibique paene sex menses disputationibus intereram sodalis ordinarius: dein Buecheler et Usener benigne me adscripserunt sodalibus seminarii regii Bonnensis, cuius sodalis fui per ter sex menses, per annum senior. Exercitationibus

philologicis suis frui ut possem, liberaliter concessere Buecheler, Clemm, Leo, Schulthess, ut archaeologicis Kekulé, ut historicis Oncken, ut Germanicis Weiland. Quibus uiris cum omnibus, tum Buechelero, Clemmio, Kekuléo, Usenero summam habeo gratiam semperque habebo.

Per tres hos annos quibus Bonnae commoratus sum aedibus amoenis et consuetudine iucunda mihi licuit uti Leopoldi Koenig a commerciis consiliarii, cuius filium litterarum primitiis institui. Cuius et ipsius qua fuit erga me benignitate et comitate et totius eius familiae memoriam semper animo pio et grato colam.

SENTENTIAE CONTROUERSAE.

I. Grauissimum testimonium de coryphaeo chori tragici diuerbii participe est Eurip. Iphig. Taur. u. 963 ubi πρέσβειρ' ἥπερ ἦν Ἐρινύων uerbis significatur coryphaeus Eumenidum Aeschyli.

II. Quod ex Photii uerbis s. u. τρίτος ἀριστεροῦ sumitur coryphaeum incedere obtinentem tertium sinistri ordinis locum in parodo, ineptum est: sine dubio in parodo, dux chori incedit in ordine primo.

III. Aesch. Pers. u. 163 μὴ μέγας πλοῦτος κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδί Ὄλβον κτλ. Scribas μὴ μέγας Πότμος: conf. Pind. Nem. IV 68 ἐμοὶ δ' ὁποίαν ἀρετὰν ἔδωκε Πότμος ἄναξ et Hor. carm. I 35, 13.

IV. Eur. Troad. u. 286 ὃς πάντα τἀκεῖθεν ἐνθάδ' ἀντίπαλ' αὖθις ἐκεῖσε διπτύχῳ γλώσσᾳ φίλα τὰ πρότερ' ἄφιλα τιθέμενος: ἐκεῖσε corruptum est: corrige ἔσεισε.

V. Eur. Or. u. 968 ἔλεος ἔλεος ὅδ' ἔρχεται τῶν θανουμένων ὕπερ στρατηλατᾶν Ἑλλάδος ποτ' ὄντων: ἔλεος ἔλεος non rectum est, corrige ἔλεγος ἔλεγος.

VI. Plat. Phaed. p. 68 D τῷ δεδιέναι ἄρα καὶ δέει ἀνδρεῖοί εἰσι πάντες πλὴν οἱ φιλόσοφοι: uerba πάντες πλὴν οἱ φιλόσοφοι glossema.

VII. Plaut. Rud. prol. u. 19 eiectis uersibus quos Dziatzko in Mus. Rhen. XXIV p. 570 sqq. recte eiecit scribatur necesse est: 'Iterum ille iam rem iudicatam iudicat' (codd. eam).

VIII. Plaut. Asin. prol. uu. 7—9 spurii.

IX. Sen. Thyest. u. 693 sqq. 'Stat ipse ad aras, ipse deuotos neci Contrectat et componit et ferro admouet *Attendit* ipse: nulla pars sacri perit'. *Attendit* non intelligitur, scribe *attondet*.

X. Hor. carm. I 3 uu. 1—8 cum scriberet meminerat Meleagri epigrammatis A. P. XII 52.

XI. In titulo Lesbiaco in Caueri delectu inscr. Graec. 123 D 37 supple τῶν ἀπογόνων τῶν [κήν]ων.

XII. Uasculorum picturae apud Iahnium Archaeol. Beitr. tab. VI et apud Welkerum A. D. III tab. XI ad (Aeschyli) Sphingem fabulam satyricam pertinent: item omnes ubi Oedipus exaduersus Sphingem non stans sed sedens depictus est.

XIII. Uasculi pictura apud Benndorfium Griech. u. Sicil. Uasenb. tab. 44 exhibet Herculem Ioles procum ab Euryto foras eiectum: Eurytus enim δείπνοις ἡνίκ' ἦν ᾠνωμένος ἔρριψεν ἐκτὸς αὐτόν secundum Soph. Trach. u. 268.

XIV. Gladiatoris Borghesiani qui dicitur σχῆμα a Niobes filii sorori succurrentis deductum est: archetypo tamen propius accedit, quam illa statua filii Niobes adhuc seruata.

Z 50

PA
6481
L6Z7

Marx, Friedrich
Studia luciliana

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 09 25 08 12 009 6